





DE ANTIPHONTIS IN PARTICULARUM USU PROPRIETATE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS ROSENTHAL

MARCHICUS.

BEROLINI

APUD RICARDUM HEINRICH

MDCCCXCIV

TYPIS EXPRESSIT BERNARDUS PAUL.

REF.: PROF. DR. DE ARNIM.

SORORI EIUSQUE MARITO

GRATI ANIMI TESTIFICANDI CAUSA.

REF.: PROF. DR. DE ARNIM.

SORORI EIUSQUE MARITO

GRATI ANIMI TESTIFICANDI CAUSA.

„Natura nulla est, quae non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quae tamen consimili laude dignentur. At hoc quidem, quod est in naturis rerum, transferri potest etiam ad artes, imprimis ad artem oratoriam [1]).“ Quae quanquam una est, tamen ei, qui in ea praestantes fuerunt, inter se fuerunt dissimiles. Velut suavitatem, ut ait Cicero l. l., Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, vim Demosthenes habuit. Atque illud quidem non modo ad sententias quadrat et ingenia unicuique eorum propria, sed etiam de dicendi consuetudine vel potius de materia illa, quae elocutionem efficit, statuendum esse censeo. Neque enim ullus est orator, qui non ea sibi eligat linguae elementa, quae suae ipsius proprietati maxime respondeant. Constat autem inter omnium populorum linguas nullam esse, qua accuratius quam Graeca intimae cogitationes exprimantur. Quam Graeci sermonis virtutem, qua oratio dicentis animo tanquam humidum vestimentum corpori se applicat, Classenius vir doctissimus his verbis praedicat [2]): „. . . Jene Frische und Unmittelbarkeit (scil. der Ausdrucksweise), die die augenblickliche Gestaltung des Gedankens zu ergreifen versteht, jene Anschaulichkeit und Lebendigkeit, durch welche wir uns so oft unwiderstehlich angezogen fühlen, haben zum grossen Teil ihren Grund in der glücklichen Anlage

[1]) Cicero, de or. III 7, 25 sq.

[2]) Beobachtungen über den Homer. Sprachgebrauch. Frankfurt a. M. 1867. p. 223.

der Sprache selbst.“ Atque hanc tam bonam indolem atque naturam praecipue in magna illa particularum copia positam esse, qua quidem Graeci ceteris populis sint superiores, nemo negabit. „Sie machen, ut ait Hartungius[1], die Form, die Farbe und den Zusammenhang der Rede,“ et alio loco[2]: „In ihnen liegt die höchste Naivetät und Anmut verborgen, während sie zugleich der Rede die grösste Bestimmtheit verleihen, und auf deren Verständnis verzichten die Hälfte des Genusses an der Schönheit der griechischen Sprache entbehren heisst.“

Itaque sic existimo, si quis quid proprium sit alicuius scriptoris studeat inquirere, ex particularum observatione haud exiguum fructum eum esse percepturum. Iam vero ut id ipsum, quod Antiphonti oratori in particularum usu proprium est, exponatur, recurrendum est ad perfectam illam Attice dicendi consuetudinem, cuius exempla Isocrates maxime et Demosthenes nobis proponunt. Praeterea autem ea respicienda esse videntur, quae quamquam apud alios graecitatis auctores passim inveniuntur, tamen apud Antiphontem tam saepe exstant, ut eius propria esse putanda sint.

Restat, ut doceam, quae potissimum subsidia in hac commentatione conscribenda me adiuverint:

E. Maetzner, Antiph. oratt. XV recogn. adnot. criticam et commentarios adiecit, Berol. 1838.

C. Müller, Oratt. Att., Antiph. etc. graece cum translatione reficta. Paris 1846/47. vol. I.

Victor Jernstedt, Ant. oratt. Petropoli 1880.

Fr. Blass, Ant. oratt. et fragm. ed. II. Lips. 1881; cuius editionis paragraphos in exemplis afferendis secutus sum.

Bohlmann, Ant. de caede Herodis, griech. u. deutsch, Teil I, § 1—48, Progr. v. Liegnitz 1886.

H. Schaefer, de nonnull. partic. apud Antiph. usu. Diss. Gött. 1877.

---

[1]) Hartung, Lehre von den Partikeln der griechischen Sprache, Erlangen 1832, I. Vorwort p. I.

[2]) ibid. Einleitung p. 55.

C. Wetzell, Beitr. z. Gebrauch einig. Part. b. Ant. Progr. v. Laubach 1879.
Ignatius, de Ant. Rhamnusii elocutione. Berol. 1882.
Cucuel, essai sur la langue d'Ant. Paris 1886.
Fr. Blass, die Att. Beredsamkeit. I² Lips. 1887.
Hartung, Lehre v. d. Partik. d. griech. Spr. Erlang. 1832, II voll.
Bäumlein, Untersuchgn. üb. griech. Part. Stuttg. 1861.
K. W. Krueger, Griech. Sprachl. für Schulen. 3. Aufl. Berl. 1852.
Phil. Buttmann, Griech. Gramm. 22. Aufl. Berl. 1869.
Raph. Kuehner, Ausführl. Gramm. d. griech. Spr. 2. Aufl. Hannover 1872.
I. N. Madvig, Syntax d. gr. Spr., bes. der att. Sprachform. 2. Aufl. Braunschw. 1889.

Aliae commentationes, quas quidem inspiciendas esse duxi, occasione data in adnotationibus commemorabuntur.

Antiphontis orationem, si in universum consideramus, confitendum est tam sedate tamque parum artificiose incedere, ut sermonem potius quam orationem audire nobis videamur. Nam simplicissimam enuntiatorum periodorumque copulationem invenimus, quae *λέξει εἰρομένῃ*[1]) illi priscorum scriptorum aut aequa aut finitima est. Neque id mirum videbitur reputanti Atticam dialectum iis quibus Antiphon fuit temporibus omnino non adultam neque perfectam fuisse, sed auctores illius aetatis vestigia superiorum, Homeri tragicorum poetarum Herodoti, secutos esse[2]), praesertim cum libri eorum per *ἀκρόασιν*, ut ita dicam, in vulgus noti essent. Et profecto Rhamnusium cum illorum simplici dictione con-

[1]) cf. O. Müller, Gr. Littgesch. II², 332.

[2]) cf. *γένος Ἀντιφῶντος* § 4 (edit. Blass. p. XXXIX): *τοῖς τῶν πρὸ αὐτοῦ (δὲ) ἐντυχὼν βιβλίοις καὶ τοῖς τῶν ποιητῶν μάλιστα εἰς τοσοῦτον προῆλθε δεινότητος.*

gruentem recedere a communi Attice dicendi ratione iustis postea locis demonstrabitur.

Sed quanquam concedendum est elocutioni illius colorem quendam antiquitatis inesse neque ad eum ad quem posteri oratores perfectum gradum ascendisse, tamen neminem negaturum existimo iam eius orationes pulchritudine quadam esse exornatas et nonnullas partes accuratius elaboratas esse et perpolitas. Huc pertinere mihi videntur, quae O. Müller V. D. de Antiphontis dictione iudicat[1]: „Nur diejenige Art von Sätzen, in denen die Glieder nicht einander untergeordnet, sondern neben einander gestellt werden d. h. die Copulativ-, Adversativ- und Disiunctiv-Sätze (d. h. die Sätze mit *καὶ* (*τε*)-*καὶ*, mit *μὲν*-*δὲ*, mit *ἢ* (*πρότερον*) - *ἢ*; im ganzen bildet alles das zusammen die *ἀντικειμένη λέξις*), haben schon in dieser Periode der Redekunst eine grosse Ausbildung erhalten und werden mit grosser Kunst in allen ihren Teilen ebenmässig durchgeführt“.

Atque has particulas, quae ad verborum et enuntiatorum structuram paratacticam, ut ita dicam, spectant, explicandas mihi proposui.

Sed priusquam ad rem ipsam accedamus, profitendum esse videtur, quid sentiam de tetralogiarum quae vocantur fide et auctoritate. Qua de re etiamsi virorum doctorum sententiae toto caelo ut aiunt distant, equidem pro certo habeo atque confido illas ex Antiphontis manu esse profectas. Concedo complura illis inesse, quae legentem ut de illius auctoritate dubitet commoveant. Sed semper reputandum est illas, quippe cum non ad usum forensem, sed ad exercitationem umbratilem sint conscriptae, propter hanc diversitatem generis interdum etiam aliam praebere speciem necesse esse; sed neque haec ad illas Rhamnusio abiudicandas quicquam valere et permultis rebus, quae elocutionis Antiphonteae propriae sint, eius auctoritatem satis

---

[1]) Griech. Litt. II², p. 332.

fulciri et confirmari censeo. Atque ad hanc sententiam fulciendam et stabiliendam dissertationem nostram quantulumcunque allaturam esse spero.

Iam ad rem ipsam aggrediamur.

I. Copulativae.

καί.

καὶ particulam apud omnes scriptores eam habere provinciam, ut et singula verba et tota enuntiata inter se copulet, inter omnes convenit. Antiquioris vero artis oratoriae est synonyma quae vocantur cumulare, ut subtili quadam notionum distinctione clarior evadat sententia sive, ut Caecilii illius Calactini[1]) verbis utar, „*ὅπως εἴη σημαντική τε καὶ εὐπρεπὴς τοῖς ὀνόμασιν*" (scil. *ἡ λέξις*). Quem usum, quo verba eiusdem vel consimilis significationis particula *καὶ* coacervantur, tam crebrum apud Antiphontem invenimus, ut quin studio quodam atque amore eum arripuerit non dubium sit. Huc optime cadunt, quae Maetzner scite ad V 42 iudicat: „Abundantia, qua luxuriat oratio minime insuavis est, quippe quae proficiscatur a studio inculcandi auribus iudicum rem gravissimi momenti". Exemplorum vero, quae huiusmodi collegi, gravissima describere, ceterorum locos tantum apponere liceat: I 1,1 *δεινῶς καὶ ἀπόρως*; 3,1 *ἐξ ἐπιβουλῆς καὶ προβουλῆς*; 4,6 [= 27,6][2]) *πρὸς ὑμᾶς καὶ τὸ δίκαιον*[3]); 10,7; 13,4; 21,6 (cf. 23,3 *τε — καὶ*); 25,4 *δικαιότερον καὶ ὁσιώτερον*; ib. 7; 26,1 ib. 2 et 9; 27,3; 28,1 (cf. III *γ* 5,1; IV *γ* 6,2; III *γ* 1,4) ib. 7 *λαθραιότατα καὶ ὡς ἄνθρωπον μηδένα εἰδέναι*; V 3,7-8; 8,1 *παρανομώτατα καὶ βιαιότατα* et simillime ib. 9; 9,8; 11,9; 14, 3 et 11 (= VI 2,2-3); 16,3; 19,1-2; 42,2; 44,2 *ἐγγὺς τῆς θαλάσσης καὶ τῶν πλοίων*; 61,2; 62,5 *μέγιστα*

[1]) cf. De Ant. eloquentia Caecilii Calactini fragm. in ed. Blass. p. XLI.

[2]) Alter numerus indicat, quo in versu paragraphi exemplum reperiatur.

[3]) cf. I,25,8 *ὑπό τε ὑμῶν καὶ τοῦ δικαίου*; ad bimembris igitur compositionis rationem ab Antiphonte etiam alias adhibitas esse particulas, si de his ipsis erit explicandum, ostendetur.

καὶ περὶ πλείστου; 63,12; 71,8-9; 82,1; 85,3-4; 87,2 (cf. post pauca *τῆς δίκης... αὐτοῦ τε τοῦ ἀληθοῦς* et VI 5,8 eadem cum *τε — τε*); 87,5; 88,9 = VI 6,8 *ἁμαρτία καὶ ἀσέβεια*; 89,3-4 = VI 6,12 (cf. I 4,6; 27,6); **VI** 1,7 *κακότητος καὶ αἰσχύνης*; VI 2,10; 3,1-2 *κινδυνεύοντι καὶ διωκομένῳ* (cf. V 61,2); 3,4 *τῶν θεῶν... καὶ τοῦ εὐσεβοῦς*; 6,8 et 12 (cf. V 88,9; 89,3-4); 7,3-4; 11,4; ib. 9 et 11; 12,5 (= I 10,7); 13,6; 16,4; 18,5-6 (cf. V 87,5); 19,4 *φανερῶς... καὶ ἐναντίον μαρτύρων πολλῶν*; 22,6 *τὰ πραχθέντα καὶ τὰ γενόμενα*; 25,2; ib. 3 et 5-6; 25,6 *μέγιστα καὶ περὶ πλείστου* = V 62,5; 26,2 = 18,5; 31,5 = 25,2; 33,1-2; 35,9 *σωτηρίαν καὶ ἀπαλλαγήν*; 41,1; 43,4-5 *δεινὰ καὶ σχέτλια* = 49,8-9 (cf. III γ 3,5; sim. III γ 6,7); 45,11; 45,13 non multum differt a VI 25,6; 46,1; 48,7 *ἐπιορκωτάτους καὶ ἀνοσιωτάτους*.

Haec in orationibus exstant; iam tetralogias perlustremus. Quae ipsae quoque hunc usum exhibent atque ita quidem, ut haud raro cum illis paene congruant: **II** α 4,3 *ἑτοίμην καὶ κατειργασμένην*; 10,4 *μιαρὸν καὶ ἄναγνον* β 2,2 *λύπας καὶ φροντίδας*, et post pauca *ὅσιον καὶ δίκαιον*, quam ad locutionem proxime accedunt: δ 12,1; III β 2,8; 12,2-3; δ 10,7; IV β 9,3; δ 11,4 et in orationibus I 10,7 = VI 12,5; I 25,4; V 9,8; 14,3 = VI 2,2-3. Porro II β 13,9-10 (cf. I 21,6 et 23,3); δ 5,1; **III** β 1,1; γ 1,4 *ἀναιδὴς καὶ τολμηρός*, cui III γ 5,1; IV γ 6,2; I 28,1-2 simillima sunt; III γ 3,5 *ἄθλια καὶ δεινὰ* cf. supra ad VI 43,4-5; 5,2; 10,11 *συλλήπτωρ καὶ κοινωνός*; 12,2 *τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας... καὶ τῶν νόμων*, cui similia sunt III β 12,1-2 et VI 7,3-4; δ 8,2 *ὀρθῶς καὶ δικαίως* idem atque I 10,7 et VI 12,5; **IV** α 6,2; ib. 3 *τύπτων... καὶ πνίγων*; β 2,5-6 = 3,7; δ 6,2 *ὑβρίζων καὶ παροινῶν*.

Iam in medium veniat *καὶ οὐ* particularum coniunctio. Quarum auxilio sententiam et affirmative et negative exprimit orator, qui usus profectus est ab studio illo *ἀντιθέσεως* efficiendae, quam magnopere adamabant antiquissimi oratores et cui Antiphon potissimum indulgebat[1]). „Es

[1]) Attigit hanc rem Belling, de periodorum Ant. symmetria, Vratisl. 1868, p. 24 etc.

hängt nämlich, ut ait Blassius [1]), mit dem spitzfindigen und raffinierten Charakter dieser Beredsamkeit zusammen, dass sich überall Gegensätze und Parallelismen einstellen, indem der Redner Verwandtes sowohl zusammenfasst, als auch auseinanderhält, und ferner nichts denken kann, ohne gleich den Gegensatz hinzuzufügen. Es war dies die durch Gorgias aufgebrachte Manier, welche sich aber bei Antiphon in einer eigentümlichen Form gestaltet, schärfer als bei Gorgias, spitzer und ausgeführter als bei Thucydides." Exempla vero, in quibus quasi per litoteta urguetur sententia, nescio quo pacto in orationibus I et VI nulla exstant [2]). In oratione V haec fere invenies: **V** 45,8 *ἔνδον ὢν ἑαυτοῦ καὶ μὴ πεφοβημένος*; 48,8-9; 52,4-7 *ἠφάνισ' ἂν τὼ ἀνθρώπω... καὶ μὴ ὑπολείπεσθαι μηνυτὰς κατ' ἐμαυτοῦ*; ubi offendit legentem *ὑπολείπεσθαι*, quod pro *ὑπελιπόμην* per anacoluthiam pendet a verbo enuntiati interpositi *ἐπ' ἐμοὶ ἦν* [3]); 71,8 *εὖ... καὶ μὴ μετ' ὀργῆς*.

Maxime autem hunc usum declamationes exhibent: **II** *β* 5,5-6 *ἐσωφρόνουν καὶ οὐκ ἐμαίνοντο*; 8,4 *φυλάξασθαι καὶ μὴ παραγενέσθαι τῷ ἔργῳ*, cui statim, ut magis affirmetur, opponitur *μᾶλλον ἢ τοῦτον σφαττόμενον ὀρθῶς γνῶναι*; 10,6; 13,7-8; *γ* 8,9 *οὗτος καὶ οὐδεὶς ἕτερος* **III** *β* 2,6 *δόξῃ καὶ μὴ ἀληθείᾳ*, quod quasi in formulam abisse videtur, ut hanc locutionem negare non dubitet orator; 5,8; 12,3-4 duo enuntiata opponuntur *ἀπολύετε ἡμᾶς, καὶ μὴ... ἀώροις συμφοραῖς περιβάλητε*; *γ* 1,2 et 3,6 *ἔργῳ καὶ οὐ λόγῳ*; 9,5-6; 10,4-5; *δ* 4,1-3 *σχετλιάζει... καὶ οὐ πρὸς τὰ λεγόμενα ἀπολογεῖται*; **IV** *β* 4,3; 6,4-5; 8,5 et 7; *γ* 3,6; *δ* 4,3-4 et idem 6; 6,3; 8,4. In hoc genere posuit Ignatius duo exempla, quae prorsus hinc

---

[1]) Blass. Att. Bereds. 1887 I² p. 139.

[2]) Cavendum esse opinor, ne quid temere ex talibus rebus efficiatur. Velut *ἤδη* vocula, quae quanquam apud omnes omnium temporum scriptores est usitata, apud Ant. neque in tetrall. neque in or. VI deprehenditur.

[3]) Aliter hunc locum interpretatur Ignatius, De Ant. Rhamn. elocutione, p. 156.

removenda sunt. IV γ 4,1 etc. exstat *ἐτόλμησε δὲ εἰπεῖν ὡς ὁ ἄρξας τῆς πληγῆς καὶ μὴ διαφθείρας μᾶλλον τοῦ ἀποκτείναντος φονεύς ἐστι*, quem locum cum Maetznero et Muellero sic vertendum esse censeo, ut *καὶ* particulae subsit notio concessiva (Mueller: „tametsi adversarium non peremerit"), id quod neque abhorret ab Antiphontis consuetudine (cf. V 87,4) neque iusto sensui repugnat. Praeterea autem vel alio quodam dicendi usu Ignatii sententia refutatur. Consuevit enim orator, ubi participia substantivorum loco posita conjungit, utrique addere articulum [1]). Illius prorsus gemellus locus invenitur in eadem paragrapho: *ὁ μὲν πατάξας καὶ μὴ ἀποκτείνας τῆς πληγῆς βουλευτὴς ἐγένετο, ὁ δὲ θανασίμως τύπτων τοῦ θανάτου.*

Redeo ad illum quem primo loco explanavi usum, quo etiam aliae proprietates accedunt. Primum enim apud optimos scriptores ea lex [2]) observatur, ut *καὶ* vocula nonnisi verba eiusdem ordinis sive membra pariter conformata inter se coniungantur. Antiphon autem liberiorem scribendi rationem amplectitur, ut formas inter se dissimiles componat, quod genus ad austeram illam compositionem spectat quae „*φύσει ἐοικέναι μᾶλλον βούλεται ἢ τέχνῃ*" [3]). Jam exempla proponamus: **I** 26,1 *ἑκουσίως καὶ βουλεύσασα*; 27,3 *τοῖς ἑκουσίοις καὶ ἐκ προνοίας ἀδικήμασι*; 28,6 *ὡς μάλιστα δύνανται λαθραιότατα καὶ ὡς ἀνθρώπων μηδένα εἰδέναι*; **VI** 19,4; 25,6 = V 62,5. Nec non in tetralogiis tale quid reperitur **II** α 4,3 *ἑτοίμην καὶ κατειργασμένην τὴν ὠφέλειαν.* Eodem fortasse spectat VI 20,1-2 *ἐνθυμηθῆναι... καὶ τῆς γνώμης τῶν ἀντιδίκων καὶ οἵῳ τρόπῳ ἔρχονται ἐπὶ τὰ πράγματα.*

Deinde haud raro in tali copulatione figura illa „hysteron proteron" (*πρωθύστερον*) quae vocatur deprehenditur. Quae poetarum maximeque Homeri propria etiam ad antiquissimos

---

[1]) cf. IV δ 3,5: *εἴ τε γὰρ ὁ πατάξας ... μᾶλλον τοῦ ἀποκτείναντος φονεύς ἐστι*; ib. 4,2 *οὐδὲν μᾶλλον ὁ διωκόμενος τοῦ διώκοντος*; probatissimum vero IV δ 8,4 *ἔστι δὲ καὶ ἡ τύχη τοῦ ἄρξαντος καὶ οὐ τοῦ ἀμυνομένου.*

[2]) cf. Krueger, Gr. Sprachl. § 59, 2, A. 2.

[3]) Dionys. Halic. de comp. verb. c. 22.

prosae orationis auctores transiit. Classenius V. D. in eo libro, quem supra laudavi, p. 200 hanc figuram his verbis explicat: „Der natürliche Ausdruck folgt der sinnlichen Wahrnehmung, unbekümmert um das Gesetz des Werdens und der zeitlichen Folge". Idem Homeri tritissimis exemplis allatis (p. 200—203) etiam Thucydidem hunc usum adamasse demonstrat. Antiphontem vero iisdem vestigiis archegetam illum haud raro secutum esse his exemplis confirmatur: I 7,3 ἀπελογεῖτο καὶ ἀντέσπευδε πρὸς ἐμέ, V 52,3-4 ... εἴ τι συνῄδη ἐμαυτῷ καὶ εἴ τί μοι τοιοῦτον εἴργαστο, ubi rectius, ut mea quidem fert sententia, dixisset: εἴ τί μοι... εἴργαστο καὶ εἴ τι συνῄδη, nisi quod alius fortasse haec enuntiata alterum alteri subiunxisset ἔγωγ' ἂν εἴ τί μοι τοιοῦτον εἰργασμένῳ συνῄδη. VI 24,1 καὶ ταῦτα ἐμοῦ προκαλουμένου καὶ λέγοντος[1]); 33,2-3; 35,9; 41,1 (cf. simillimum in 46,4); 46,1 παρόντες καὶ ἐπιδημοῦντες[2]); 48,6-7. In hoc genere non dubito ponere II α 4,3 ἑτοίμην καὶ κατειργασμένην τὴν ὠφέλειαν.

Venio ad usum paratacticum, de quo pauca etiam Bellingius[3]) et Brinkmannius[4]) disseruerunt. Proprium est enim Antiphontis, quippe sequentis illam antiquiorum λέξιν εἰρομένην quae vocatur, duo enuntiata sive membra, quae ex recta cogitandi ratione alterum alteri subiungantur, καὶ vocula pari loco ponere. Ac primum perlustremus eum usum, quo membra, causali modo copulanda, simpliciter καὶ particula coniunguntur. Exempla a Brinkmannio (p. 62) collata haec sunt: V 5,3 συγγνώμην ἔχειν μοι καὶ ἡγεῖσθαι ἀπειρίᾳ αὐτὸ μᾶλλον ἢ ἀδικίᾳ ἡμαρτῆσθαι[5]); V 12,4; V 38,7-8; 70,3-4; 72,4-5; 76,3-4. VI 11,1-2; 25,1-3; 26,3-4 ἐξῆν αὐτοῖς πυνθάνεσθαι καὶ πρόφασις

[1]) Carol. Mueller hoc modo vertit: „Haec dictitante et offerente me coram iudicibus"; praeterea VI 23,1 exstant iusto ordine: καὶ εἰπόν τε ταῦτα ... καὶ προυκαλούμην.

[2]) Similiter, sed iusto ordine Dem. de cor. 239 ... τότ' ὢν ἐν τῇ πόλει καὶ παρών.

[3]) Belling, de periodorum Ant. symmetria Bresl. 1868, p. 26.

[4]) Brinkmann, de Ant. or. de chor. Lips. 88, p. 62.

[5]) Sententia secundaria etiam in altero membro poni solet; item VI 5,2; 48,6-7; 26,4-5; 43,3-4.

οὐδεμία ὑπελείπετο; 34,6-7; 48,6-7. Quibus exemplis de meo addiderim **V** 30,4-5 *οὗτος ἦν ὁ πεισθεὶς ὑπὸ τούτων καὶ κατεψευσμένος ἐμοῦ*; 41,5-6; **VI** 5,2; 26,4-5; 43,3-4.

Praeterea ea enuntiata, quorum unum alterum explicat, pari loco ponuntur. Brinkmannius affert **V** 33,4-5; 36,3-4; 40,3; 46,6; **VI** 4,2-3; 7,8; 28,4; 36,6; 41,5-6; 46,2 (cf. III *γ* 11,10). Addo **I** 7,3 *ἀπελογήθη καὶ ἀντέσπευδε*; 29,5 *μαρτύρονται καὶ λέγουσι* et simillime 30,4 *ἐπικαλοῦνται μάρτυρας καὶ δηλοῦσιν*; **V** 46,8; **VI** 8,2; 9,10; 18,1-2; 22,1; 26,7; 34,7.

Neque vero a declamationibus, quamvis talis abundantia dicendi in earum pressam et adumbratam formam minus conveniat, hanc rationem abesse his exemplis comprobatur: **III** *β* 2,1-2 *ὑπὸ δὲ σκληρᾶς ἀνάγκης βιαζόμενος καὶ αὐτὸς εἰς τὸν ὑμέτερον ἔλεον... καταπεφευγὼς δέομαι ὑμῶν*; 4,3; *γ* 11,10; **IV** *β* 1,6-7.

In hoc genere autem maxime mira sunt: I 29,3 et V 52,4. I 29,3 enim exstat *ἐὰν μὲν δύνωνται καὶ φθάνωσι πρὶν ἀποθανεῖν* pro legitimo *δύνωνται φθάνειν*. Hoc mihi etiam magis quam cetera ad cotidiani sermonis licentiam pertinere videtur et probe conferri potest cum his vernaculis locutionibus: „Sei so freundlich und begleite mich", vel: „Ich werde mich hüten und mit dir streiten", vel aliis eiusmodi, inter quales sententias ex recta cogitandi ratione artiorem necessitudinem intercedere nemo est quin intellegat. Neque aliter res se habet in V 52,4, ubi rectius verbum *εἴργασται* suspenditur ex *συνῄδη* (cf. p. 13).

Simillima ratione duo substantiva, quae unum alteri subiungenda sunt, ita ut unam efficiant notionem, *καὶ* vocula inter se conectuntur; subesse igitur videtur figura illa „*ἓν διὰ δυοῖν*" quae vocatur. Velut **V** 25,6 = **VI** 23,7-8 exstat *τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ γενόμενον*, quod nihil nisi *τὸ ἀληθῶς γεν.* (Ignatius cap. 374: „res vere gestas"), pro quo alias et in orationibus et tetralogiis: *ἡ ἀλήθεια τῶν πραχθέντων* vel tale quid, cf. **II** *δ* 1,4; **III** *β* 3,7; 10,1; *γ* 3,10; **I** 13,2; 7-8; **V**

72,4-5. Porro V 14,7 = VI 2,6 χρόνος καὶ ἐμπειρία[1]) pro πολλὴ ἐμπειρία; VI 8,6 τοῖς κατηγόροις καὶ τοῖς ἐπηρεάζουσιν; quae verba Ignatio[2]) invito retinenda sunt.

Sequitur is καὶ particulae usus, quo oratio continuatur. Quamvis concedendum sit καὶ voculam hoc munere, ut simpliciter nova inducat argumenta, apud omnes fere probatos scriptores fungi, tamen apud eos, qui ad perfectiorem iam eloquentiae gradum pervenerunt, rarius ad argumenta adnectenda usurpatur. Antiphon autem, cuius auxilia orationis continuandae artissimis sint finibus circumscripta, saepissime hac particula ab altera ad alteram transit partem. Atque in hac consuetudine plerumque ita agit noster, ut καὶ vocula vix illata statim dispertiat orationem cum aliis tum maxime μὲν-δὲ[3]) particulis. Quod his exemplis comprobabitur: I 6 καὶ οὐ τοῦτό γ' ἐρεῖ; 10; 14 in narratione, quam in or. I studio quodam Antiphon καὶ particula continuat[4]) atque ita quidem, ut persaepe καὶ ἐπειδὴ consocientur, cum or. V ἐπειδὴ δὲ peculiare sit; ecce exempla: I 15 καὶ ἐπειδὴ ἦλθεν; 17 καὶ ἐπειδὴ ἦσαν; ibidem καὶ ἐπειδὴ αὐτῷ ἐτέθυτο; 20 καὶ ἐκεῖνοι ἐπειδὴ ἀπέσπεισαν. Praeterea καὶ invenies 18 καὶ τὰ μὲν ἄλλα... ἀλλά; 19; 24; hic ponendum est etiam ταύτῃ καὶ in § 24, pro quibus posteriores scripsissent τοιγαροῦν; 30. V 9 καὶ ὡς μὲν-φασὶ δὲ; 21; 23 καὶ ὁ μὲν — ἐγὼ δὲ; ib. καὶ εἴ τῳ etc. et καὶ εἴς τε τὴν Μυτιλήνην... καὶ etc.; 29; 30 καὶ ὃν μὲν... μὲν — δὲ; 38 bis; 47; 69; 70; 74; 84; 87 καὶ οὐδεὶς ἂν τολμήσειε οὔτε... οὔτε; 89 καὶ οὐκ ἴσον ἐστὶ..τε..καὶ; 90. VI 2; 5 = V 87; 6 = V 89; 9; 11; 14 καὶ τούτων εἴ τι, pro quo concinnius fortasse εἰ δὲ τούτων etc. sive καίτοι; oppositionis quaedam vis

[1]) Simillime Dem. de fals. leg. 123: αἱ πόλεις χαλεπαὶ λαβεῖν μὴ οὐ χρόνῳ καὶ πολιορκίᾳ.

[2]) Hic eiciendum proponit καί.

[3]) καὶ ... μὲν — δὲ etiam Isocratem adamare Ljungdahlius autumat in libro, qui est de transeundi generibus quibus utitur Isocrates, Upsal. 1871, p. 24.

[4]) Quae ex liberiore orationis usu et ad vitae cotidianae consuetudinem expresso profecta sunt, cf. Ottsen, de rerum inventione ac dispositione, quae est in Lysiae et Ant. oratt., Prgr. Flensburg 1847.

etiam *καὶ* in § 15 subesse videtur *καὶ οὐ τούτου ἕνεκα ταῦτα... λέγω*; 17 coacervantur *καὶ εἴ φασιν... καὶ εἴ φασιν... καὶ εἰ*; simile quid 26-27 *καὶ ἐγὼ μὲν — οἱ δ'... καὶ εἰ μὲν ἐγὼ — ἐπεὶ δ'*; 23; 24; 29; 35; 36 *καὶ οὔτε — τε*; ibid. *καὶ τοῦτο οὐ... ἀλλὰ*; 37; 39 *καὶ ἐγὼ* et paulo post *καὶ μετὰ τοῦτο*; 41; 42 *καὶ οὔτε — οὔτε*; 43; 44; 45; 46, ubi *καὶ* resumit *οὗτοι δὲ* in 45; 47; 50.

Atque etiam in tetralogiis, quibus maxime *δὲ* particula peculiaris est, huius generis exemplum deprehendimus: **II** *β* 3 *καὶ ἐμὲ ὡς δεινὸν μὲν... ὡς δ' ἠλίθιον.*

Ut autem planius intellegatur, quam late pateat Antiphontis consuetudo *καὶ* particula argumenta conectendi, ostendere hoc loco liceat, quotiens ceteris utatur coniunctionibus, quae quidem in hoc transeundi genere habeant locum, omissis tamen *δὲ*, *οὖν*, *γὰρ*, de quibus postea accuratius videbimus. Hic satis habeo explicare illas voculas ipsas quoque in hac re frequentari. Ceterorum, quae ubique ad argumentorum seriem continuandam pertinent, apparet

τοίνυν in tetrall. bis (III *β* 7; IV *α* 7), in oratt. quinquies (V 60; 66; 83; VI 26; 31) } septies

ἀλλὰ μὴν / *οὐ μὴν ἀλλὰ* } omnino non legitur

καὶ μὴν V 28; 44 bis; 91; 92 = quinquies

δή: *οὑτωσὶ μὲν δὴ* V 19; *καὶ μὲν δὴ* V 51; 63; *φέρε γὰρ δὴ* V 36; *δή* IV *γ* 2 } quinquies

Apud alios scriptores constans fere et legitimus usus est, ut imprimis *καὶ* particula ea enuntiata adiungantur, quibus is, qui loquitur, ad narrata confirmanda testes vocari vel testimonia leges plebisconsulta pronuntiari iubet. Aliter vero res se habet apud Antiphontem. Uno enim loco V 56 exstat *καί μοι μάρτυρας τούτων κάλει*, cum ceteris locis *δὲ* particula tale enuntiatum asseratur, atque ita quidem, ut praeter unum omnes qui codicibus servantur loci unam fere eandemque formam exhibeant[1]), quae est *τούτων δ' ὑμῖν τοὺς*

[1]) In hac sicut in aliis rebus cum Antiphonte Isaeum quodammodo consentire videmus, cf. Is. V. 13; IX 4; 9.

μάρτυρας παρέξομαι sive *παρασχήσομαι*: V 20; 22; 24; 28; verborum sede mutata 30 *παρέξομαι δὲ τούτων τοὺς μάρτυρας*. V 35 *δὲ* cum imperativo coniungitur, quod persaepe apud alios oratores invenitur: *τούτων δὲ μάρτυράς μοι κάλει*.

Constat inter omnes *καὶ* cum *δὲ* particula coniungi, „sofern ein Neues ebensowohl als Gleichartiges aufgefasst und angereiht werden kann, wie als Verschiedenes[1]", et apud ceteros graecitatis auctores huiusmodi exempla plus minusve inveniri[2]). Isocratem uno loco excepto hunc usum repudiavisse Ljungdahlius l. l. p. 32 testatur; Antiphon vero hac quidem coniunctione plane abstinuit, sed saepe apud eum has particulas mutato ordine coniunctas invenimus. Qua in re praeterea hoc oratori proprium est, quod permultis locis[3]) inter *δὲ* et *καὶ* unum vel complura verba interponere solet. Exempla affero: I 31 *οἶμαι δὲ καὶ*. V 39; 46; 49* *σκοπεῖτε δέ, ὦ ἄνδρες, καὶ ἐκ τοῖν λόγοιν*; 51; 65*; 67*; 74*; 81; 82; 84; 85; 91* (cf. 67). VI 1*; 28 = V 84; 33*. In tetralogiis talia exstant II *β* 4; 7; III *β* 9; *γ* 9; IV *β* 5*; *γ* 1; 5*; *δ* 4; 5; 8.

Hoc ex Antiphontis more, quo orationem *δὲ* (...) *καὶ* particulis continuare solet, permultum redundat ad duos locos tuendos ac defendendos. V 6 enim in codicibus exaratur: *ἀνάγκη δὲ κινδυνεύοντα περὶ αὐτῷ καί πού τι καὶ ἐξαμαρτεῖν*[4]); quo in enuntiato prius *καὶ* cum *δὲ* consociatum orationi continuandae servire, alterum *καὶ* intendendi vim habere recte iudicat Maetzner. Cur *καὶ* hoc loco longius iusto a *δὲ* re-

---

[1]) Bäumlein, l. c. p. 148 sub *ε*.

[2]) Rauchensteinius ad Isocr. VII, 49 affert: „*καὶ* — *δὲ* bei den Rednern mit Ausnahme des Demosthenes minder häufig."

[3]) Hos asterisco significavi.

[4]) Blassius ante *καί που* intercidisse *ἐκπληχθῆναι* vel simile quid coniecit. Jernstedtius ante *περὶ αὐτῷ* lacunae signa posuit, intercidisse ratus *ὀρρωδεῖν* vel aliud verbum timendi. Bohlmannus (l. l. p. 24), Maetznerum secutus, recte convertisse mihi videtur: „Und notwendig muss einer, der mit der eignen Existenz in Gefahr schwebt, auch wohl gar einmal vom Richtigen abirren."

motum nec τι vocula ἐξαμαρτεῖν verbo regenti apposita sit[1]), causam eam esse opinor, quod καί πού τι καὶ tamquam in formulam abisse videtur. Simillima enim locutio exstat Thuc. II 87,2 ... καί πού τι καὶ ἡ ἀπειρία τοὺς πρῶτον ναυμαχοῦντας ἔσφηλεν; Soph. Phil. 308: ἐλεοῦσι μέν, καί πού τι καὶ βορᾶς μέρος προσέδοσαν. Simillime usurpatur οὔ τί που Soph. Ant. 381; Phil. 1233. — Alter locus est II β 6, ubi codices praebent: εἰ δὲ μὴ καὶ ἐπὶ τοῖς ἱματίοις διεφθάρη, ἀλλ' ἑτέρους ἰδὼν ἄλλο τι κακὸν ποιοῦντας, ἵνα μὴ μηνυτὴς τοῦ ἀδικήματος γένηται, ἀπέθανεν ὑπ' αὐτῶν, τίς οἶδε; Reiskius cumque eo Kayser et Jernstedtius transposuerunt εἰ δὲ καὶ μή. Consideranti vero illam quam exposui Antiphontis consuetudinem codd. scriptura sana iustaque esse videbitur.

Veniamus nunc ad aliam proprietatem. V 38 enim scriptum videmus καὶ cum εἶτα in κᾆτα conflatum atque ita quidem, ut hac voce duae actiones secundum tempus continuentur. Ea autem est κᾆτα voculae ratio, ut apud optimos scriptores tantum in indignantium interrogatione ponatur = „itane vero“, „also wirklich?“, apud alios quosdam, etiamsi rarissime, participio subiungatur, ut arctius conectantur participii et verbi finiti actiones[2]). Antiphon igitur in V 38 οἱ μὲν ἄλλοι... κλέπτουσι κᾆτ' ἀφανίζουσι liberiorem sive vulgarem dicendi consuetudinem secutus esse videtur, cuius haud pauca exempla in sermonibus tragoediarum reperies.

Cum neglegentiore orationis conformandae ratione etiam illud arcte cohaeret, quod Antiphon compluribus membris ἀσυνδετικῶς ut ita dicam adiunctis extremo καὶ praemittit. Nam aut polysyndeton ponunt Graeci, id quod usitatissimum est, aut prorsus asyndeton. VI 39 exstat καὶ μετὰ τοῦτο συνῄσάν μοι καὶ διελέγοντο ἐν τοῖς ἱεροῖς, ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἐν τῇ ἐμῇ οἰκίᾳ, ἐν τῇ σφετέρᾳ αὐτῶν καὶ ἑτέρωθι πανταχοῦ.

Nunc dicendum videtur de mira sede καὶ particulae. Duobus enim locis ex enuntiato primario remota in enuntiatum relativum transposita est. V 4 scriptum esse ex-

---

[1]) cf. VI 1 ἀλλ' εἴ τις καὶ συμφορὰ γίγνοιτο.

[2]) cf. Madvig, Synt. d. gr. Spr. § 175a; 185 Anm. 6.

spectaveris εἰκὸς γὰρ..., οὗπερ οἱ διώκοντες ἔτυχον ἄνευ αἰτήσεως, ...τὴν ἀκρόασιν ὑπάρχειν καὶ τοῖς φεύγουσι; sed „umgekehrt[1]) der griechische Schriftsteller: seinem Gefühl drängt sich als Erstes, als das „πρῶτον πρὸς αὐτόν", das Bedürfnis des Momentes auf, und so kehrt er in anticipierender Weise das natürliche (τῇ φύσει) Verhältnis der Satzglieder um". Eandem rationem reperimus V 51 καὶ μὲν δὴ τὰ ἐξ ἴσου γενόμενα τοῦ φεύγοντός ἐστι μᾶλλον ἢ τοῦ διώκοντος, εἴπερ γε καὶ τῶν ψήφων ὁ ἀριθμὸς ἐξ ἴσου γενόμενος τὸν φεύγοντα μᾶλλον ὠφελεῖ ἢ τὸν διώκοντα. Hoc enim loco concinnius τὰ ἐξ ἴσου γενόμενα, cum sit „τὸ δεύτερον τῇ φύσει", καὶ particula notatum esset.

Extremam affero primae orationis proprietatem, qua post relativum καὶ vocula infertur. Qua re Kuehner[2]) dicit indicari, „dass der relative Satz etwas enthalte, was dem Gedanken des Hauptsatzes entspricht oder aus demselben folgt". Huic usui monumentum priscae illius parataxeos subesse videtur, quae, cum relativi usus nondum vel non satis tritus esset, ὅς (ὃ), ἥ, ὅ voculis demonstrandi vim tribuebat. Et poteris hanc copulandi vim eruere, dummodo verba transposueris. Etenim I 20 ὁ δὲ πατὴρ ὁ ἡμέτερος εἰς νόσον ἐμπίπτει, ἐξ ἧς καὶ ἀπώλετο εἰκοσταῖος commutata in ὁ δὲ πατὴρ... καὶ ἐξ ἧς (= ταύτης) ἀπώλετο luculentissimum λέξεως εἰρομένης praebent exemplum. Confirmari autem atque stabiliri sententiam meam puto loco Antiphonteo ipso, qui in illum priscorum modum conformatus est. I 16 enim exaratur in codicibus ἠρώτα οὖν αὐτήν, εἰ ἐθελήσοι διακονῆσαί οἱ, καὶ ἣ[3]) ὑπέσχετο ὡς τάχιστα, οἶμαι. Ceteri, quibus exstat καὶ post relativum, hi sunt loci: I 6 et 22.

καὶ — καί.

καὶ—καὶ particulis, ut hoc summatim exponam, ab Antiphonte haud aeque magna atque a posteris data est pro-

[1]) cf. Classen, l. c. p. 214 sq.

[2]) l. c. p. 798.

[3]) Ignatius transponendas has voculas censet, iniuria puto.

vincia. Velut exstant exempla

in or.	I	(31 §§)	. . .	5
- -	V	(96 §§)	. . .	7
- -	VI	(51 §§)	. . .	11
- -	II-IV	(117 §§)	. . .	5.

Cuius rei causa in eo posita est, quod ei, a quibus Rhamnusius exempla sermonis graeci repetere potuit, illam coniunctionem aut nullo aut parco usu receperant. Paulatim demum hoc genus increbuit, id quod iam apud Antiphontem ipsum possumus animadvertere. Etenim oratio VI, quae quidem ultima et diligentius polita sit, quamquam paene dimidio brevior est quam V, tamen prope alterum tantum exemplorum numerum exhibet.

Iam vero duplex *καὶ* ita poni solet, ut eo notiones vi ac natura inter se discrepantes colligentur[1]). Ab hac lege oratorem nostrum passim abhorrere videmus. Nam mirum in modum coniungit ea verba, quae idem vel consimile quid significant. Quae proprietas procul dubio cohaeret cum sophistica quadam ratione, qua Rhamnusius suam cuiusque vocis notionem acriter premere studet, ut gravior fiat oratio iudicumque animos vehementius commoveat. Exempla vero haec inveni: **I** 3 *ὡς καὶ ἐγὼ καὶ ἡ γραφὴ λέγει*; 23 *καὶ δικασταὶ ἐγένεσθε καὶ ἐκλήθητε*; **V** 7 *καὶ νομίμως καὶ ὁσίως*; 32 *καὶ βασανισταὶ καὶ ἐπιτιμηταὶ*; 91 *καὶ ὀργῇ χρησαμένους καὶ διαβολῇ πιθομένους*; **VI** 10 *καὶ ὅσια καὶ δίκαια*; 51 *καὶ ὑμᾶς εἰδότες εὐσεβεστάτους τῶν Ἑλλήνων δικαστὰς καὶ δικαιοτάτους*, in quibus notanda est singularis verborum collocatio. Nec vero tetralogias hoc subtile genus prorsus deficit: **II** *α* 1 *καὶ γνωσθῆναι καὶ ἐλεγχθῆναι*, nec non **IV** *γ* 6 *καὶ ταῦτα καὶ ἔτι τούτων δεινότερα*.

Reliquum est, ut pauca de proprietate quadam or. VI exponam. Exstant enim nonnulli loci, quibus per abundantiam *καὶ—καὶ* particulae praemissum *ἀμφότερα* excipiunt. Ut scriptum videmus **VI** 20 *ἄξιον δ' ἐνθυμηθῆναι, ὦ ἄνδρες, ἀμφότερα καὶ τῆς γνώμης τῶν ἀντιδίκων καὶ οἵῳ τρόπῳ ἔρχονται ἐπὶ*

[1]) cf. Kuehner l. l. p. 793,1; Pape, Griech.-Deutsch. Lex. I² p. 1177.

τὰ πράγματα, et 46 *ὑπομνῆσαι καὶ ἐνθυμηθῆναι ... ἀμφότερα καὶ σφῶν αὐτῶν ἕνεκα καὶ τῆς πόλεως*. Atque hanc dicendi ubertatem sicut alia multa ex Homeri carminibus ad Antiphontem descendisse manifestum est, illo tantum discrimine interposito, quod apud Homerum, quippe a cuius dictione *καὶ—καὶ* coniunctio sit aliena, *τε—τε* vel *τε—καὶ* voculae usurpantur. Quod ut clarius perspiciatur, pauca exempla apponere liceat: Il. IV 59—60: *καί με πρεσβυτάτην τέκετο Κρόνος ἀγκυλομήτης, ἀμφότερον, γενεῇ τε καὶ οὕνεκα σὴ παράκοιτις κέκλημαι*; ibidem v. 144—145: *βασιλῆϊ δὲ κεῖται ἄγαλμα, ἀμφότερον, κόσμος θ' ἵππῳ ἐλατῆρί τε κῦδος*. Alia III 179; VII 418 (*τε—δὲ*); XIII 166.

τε.

τε particulae usum eum esse grammatici praescribunt[1]), ut conectat ea enuntiata eorumve membra, quae arctiore quodam vinculo inter se cohaereant. Addunt autem viri docti illam apud poetas usitatissimam, apud bonos tamen solutae orationis scriptores rarissimam[2]) esse. Cui legi quanquam Antiphontem repugnare videmus, tamen nemo erit, cui hoc mirum videatur consideranti eum exempla orationis componendae nonnisi a poetis antiquissimis repetere potuisse. Exempla vero haec exstant: I 9 *ἃ* (scil. *ἀνδράποδα*) *συνῄδει καὶ πρότερον τὴν γυναῖκα ταύτην ... τῷ πατρὶ ... θάνατον*

[1]) Kuehner l. l. p. 787: „*τε* führt auch einen Satz ein, der eine Ergänzung, Erklärung, weitere Ausführung des vorhergehenden, oder auch eine aus diesem hervorgehende Folge ausdrückt, und ist so nicht bloss in der Dichtersprache häufig, sondern auch in der Prosa, namentlich bei Herodot und Thucydides, sehr selten bei den Rednern". Idem fere sentit Jacobs, Attica p. 391 sub *τε*: „Zu Anfang von Sätzen mit Nachdruck ein Resultat aus dem vorhergehenden zusammenfassend".

[2]) cf. quae Fuhr Rh. Mus. 33, p. 599 de hac particula iudicat; quantum ab eius de Ant. sententia discedam, ex insequenti disputatione insigniter elucebit.

μηχανωμένην φαρμάκοις καὶ τὸν πατέρα εἰληφότα ἐπ' αὐτοφώρῳ ταύτην τε οὐκ οὖσαν ἄπαρνον, ubi pro *ταύτην τε* recentiores scripsissent *καὶ ταύτην* = „und zwar"; aliter iudicat Schaefer, de nonnull. partic. apud Ant. usu, diss. Gott. 1877, p. 14. Praeterea I 26, quocum cf. locum consimilem I 18. V 24 *ἐπειδὴ δὲ ὁ ἀνὴρ... ἐφαίνετο..., πλοῦς τε ἡμῖν ἐγίγνετο, καὶ τἄλλα ἀνήγετο πλοῖα..., ᾠχόμην κἀγὼ πλέων*; aliter Ignatius interpretatur, qui *τε* ad *καὶ* refert; perperam ut puto. V 18 ... *ἔπειτα κακοπαθεῖν τῷ σώματι, τούς τε φίλους προθυμοτέρους ἔχειν τοὺς ἐμαυτοῦ ... διὰ τὴν τοῦ σώματος κακοπάθειαν*: „und so meine Freunde bereitwilliger zu finden . . . eben wegen meines körperlichen Leidens", qua ex repetitione colligendum esse censeo hoc a *τούς τε* incipiens enuntiatum non plane novum esse membrum, sed tantum explicandi causa ad „*κακοπαθεῖν τῷ σώματι* adiunctum esse. In eadem paragrapho subsequuntur *ὄνειδός τε αὐτῷ τε ἐμοὶ περιέθεσαν καὶ τοῖς ἐμοῖς προσήκουσιν εἰς τὸν βίον ἅπαντα*; ne hoc quidem aliter ac supra explicavi accipiendum est: „Und so haben denn . . ." V 51 exaratur *ἔπειτα δὲ καὶ ἐκ τῶν λόγων τῶν τοῦ ἀνθρώπου μερὶς ἑκατέρων ἐγεγόνει... ἔκ τε ἀμφοῖν τοῖν ἀνδροῖν*. Simillime notio notioni *τε* particula adnectitur V 87 *ἀνάγκῃ δὲ τῆς δίκης νικᾶσθαι παρὰ τὸ ἀληθές, αὐτοῦ τε τοῦ ἀληθοῦς*; qui locus magnam criticorum controversiam movit. Namque cum loco gemello VI 5 duplex *τε* positum sit, critici modo hunc modo illum locum sanare conati sunt. Optime de hac re Schaefer l. l. p. 16—19 iudicavit. Qui duobus locis communibus accuratissime inter se collatis collegit Antiphontem, ut orationem variaret, alterum locum alteri non ad verbum aptasse; quare codd. lectionem genuinam esse putandum est. Haec sententia fulcitur cum aliis haud concinne conformatae vel variatae orationis exemplis tum maxime his I 18 et 26, ubi praebent codd. *ὁ δὲ ἐκπλεῖν τε μέλλων καὶ παρ' ἀνδρὶ ἑταίρῳ ἑαυτοῦ δειπνῶν* et *ὅς γ' ἐκπλεῖν ἔμελλεν ἐκ τῆς γῆς τῆσδε, παρά τε ἀνδρὶ φίλῳ ἑαυτοῦ εἱστιᾶτο.* — In or. VI frustra simplex *τε* quaesiveris. Causam vero circumspicienti haec esse videbitur, quod or. VI, cum propius absit a melioris graecitatis

temporibus, iam purioris elocutionis prae se fert speciem. Utut autem res se habet, Antiphontem, quippe priscorum auctoritate ductum, *τε* simplicis usum non respuisse exemplis ex orr. I et V sumptis satis probatum est.

Videamus nunc, quomodo res se habeat in tetralogiis. Schaefer l. l. omnibus locis examinatis ad eam sententiam adductus est, ut *τε* solam a declamationibus abiudicandam esse existimaret (p. 13). Nunc vero quindecim fere locis optimi qui feruntur codices *τε* simpliciter usurpatum exhibent. Quid? nonne a principio veri dissimillimum est his tot locis codicum scripturam esse depravatam? Sane quidem! Itaque cautissime agendum est et videndum, ecquid omnino tetralogiarum exempla cum sollemni *τε* particulae usu consentiant. Nam si ita progrediamur, ut quidquid non pure compositum esse videatur, coniciendo removeamus, tum quidvis ex quovis facere possumus. Sed etiam in tetralogiis *τε* voculam suum habere locum ex iusta interpretatione effici poterit. Velut **II** *α* 7 recte scriptum est *...ὁ φόβος... θερμότερον ἐπιχειρεῖν ἐπῆρε. ἤλπιζέ τε τάδε μὲν δράσας καὶ λήσειν ἀποκτείνας αὐτὸν καὶ ἀποφεύξεσθαι τὴν γραφήν*; *τε* enim particula praegressis enuntiatum adiungitur, quod, ut Kuehneri verbis utar, „eine Ergänzung . . ., weitere Ausführung“ exprimit = „auch hoffte er“ etc. Eodem in loco positum esse iudico *β* 1 *τῶν μὲν ... ἄλλων οἱ δυστυχοῦντες, ὁπόταν μὲν ..., ὅταν δὲ ... ἐάν τέ τις ἄλλη συμφορὰ καταλαμβάνῃ αὐτούς, τὰ ἐναντία ἐπιγιγνόμενα ὀνίνησιν*, ubi duobus casibus peculiaribus generalis asseritur. Simile quid reperies **IV** *α* 4 *τῷ μὲν ἀποθανόντι οὐ τιμωροῦντες... ἀλιτηρίους ἕξομεν..., τοὺς δὲ καθαροὺς ἀδίκως ἀποκτείνοντες ἔνοχοι... ἐσμέν, ὑμᾶς τε ἄνομα δρᾶν πείθοντες... ὑπαίτιοι γιγνόμεθα*; hic alteri parti (mortuo et reo insonti) additur altera (iudices). Auctor igitur his locis non triplicem partitionem esse voluit, sed duplicem. Porro **III** *β* 8, ubi Blassius et Spengelius (Rh. Mus 17,168) perperam proponunt *τό(τε)ἔργον...*, *τό τε πάθος κτλ.* — **III** *γ* 12 poetarum more duo enuntiata praegressis deinceps adnectuntur *τε* particula: *...τιμωρεῖσθε αὐτόν, αὐτοί τε μὴ μετα-*

λάβητε..., ἡμῖν τε τοῖς γονεῦσιν... ἐλαφροτέραν τὴν συμφορὰν καταστήσατε.

Atque non modo integra enuntiata inter se coniuncta invenimus, sed etiam singulas notiones enuntiatorumque membra. Verum tamen hi quoque loci optime ad vim et usum particulae *τε* possunt accomodari. Velut **II** *α* 10 *ἀσύμφορον... ὑμῖν ἐστὶ τόνδε... εἰς τὰ τεμένη τῶν θεῶν εἰσιόντα μιαίνειν τὴν ἁγνείαν αὐτῶν, ἐπί τε τὰς αὐτὰς τραπέζας ἰόντα συγκαταπιμπλάναι τοὺς ἀναιτίους.* *β* 12 *ἐμὲ ... γνώσεσθε ... πολλὰς μὲν καὶ μεγάλας εἰσφορὰς εἰσφέροντα κτλ..., τήν τε οὐσίαν οὐ δικαζόμενον, ἀλλ' ἐργαζόμενον κεκτημένον,* ad quem locum Schaefer (l. l. p. 13) haec fere ratiocinatur: „Reus exponit, quomodo pecunia utatur; tum ad plane aliam rem transit; dicit enim, quomodo acquisiverit; itaque scribendum est *δὲ*". Equidem existimo non plane novam rem inferri, sed rem antecedentem diligentius evolvi atque explicari; itaque optime ferri potest *τε*[1]). **IV** *γ* 7 ita ut duo membra deinceps *τε* vocula adnectantur (cf. p. 23 ad III *γ* 12) *ἡμεῖς δὲ τὸν θάνατον φανερὸν ἀποδεικνύντες, τήν τε πληγὴν ὁμολογουμένην..., τόν τε νόμον εἰς τὸν πατάξαντα... ἀνάγοντα.* **II** *δ* 1 *τῇ ὑμετέρᾳ γνώμῃ τῇ τε ἀληθείᾳ.* *δ* 11 Blassius mutavit codd. lectionem *ὑπὲρ ἐμαυτοῦ ἐπισκήπτω..., ὑπὲρ δὲ τοῦ ἀποθανόντος* in *ὑπέρ τε ἐμαυτοῦ..., ὑπέρ τε τοῦ ἀπ.*; summa, ut puto, iniuria; nam Antiphontis consuetudo fert eiusmodi *μὲν—δὲ* partt. oppositionem, ut *μὲν* omittatur, qua de re postea videbimus. Porro in illo genere numerari velim **III** *β* 1 ... *αἱ συμφοραὶ καὶ χρεῖαι τούς τε ἀπράγμονας εἰς ἀγῶνας καταστῆναι τούς τε ἡσυχίους τολμᾶν τά τε ἄλλα παρὰ φύσιν λέγειν καὶ δρᾶν βιάζονται* = „und so auch im übrigen" etc. **IV** *α* 6 *ὕβρει δὲ καὶ ἀκολασίᾳ παροινῶν εἰς ἄνδρα πρεσβύτην, τύπτων τε καὶ πνίγων..., τοῖς ἐπιτιμίοις ἔνοχός ἐστιν*; hic cum Ignatio illo quidem *τε* non ad *καὶ* insequens refero, sed dissentio ab eo scribente *παροινῶν τε..., τύπτων τε*; ex superioribus enim exemplis satis probabili ratione efficitur *τε* simplicem ad illa membra conectenda sufficere.

---

[1]) Jernstedtius ipse quoque *τε* restituit.

Iam exstant aliquot loci, quibus τε vocula neque praegressis adnectit sequentia neque habet, cui respondeat. Horum locorum rationem optime explicavit Maetzner noster, cum dicit (ad II β 12) „τε particulam interdum ab Atticis ita adhibitam esse, ut structurae inchoatae in sequentibus non amplius haberetur ratio, immutata verborum constructione vel suppressis iis, quae in animo haberet scriptor[1]". Exempla vero haec sunt: **II** β 12 *ἐμὲ δὲ ἔκ τε τῶν προειργασμένων γνώσεσθε οὔτε ἐπιβουλεύοντα κτλ.*, ubi Blassius iniuria exstinguendum τε putavit; Ignatii autem interpretatio, qui *ἔκ τε τῶν πρ. γν. οὔτε ἐπιβουλεύοντα κτλ.* et *τήν τε οὐσίαν κτλ.* inter se respondere existimat, item non probabitur amplectenti quae p. 24 de hoc loco explanavi. **IV** β 6 codd. suppeditant *ἀπολυόμενος δὲ ὑπό τε τοῦ ἄρξαντος τῆς πληγῆς*, ubi Reiskius addidit post *ὑπό τε τοῦ* (*νόμου ὑπό τε τοῦ*), quae sensum iustum praebent illa quidem, sed num recte ex Antiphontis ingenio sint inserta, haud diiudicaverim. δ 3 denique exaratur *εἴ τε γὰρ ὁ πατάξας κτλ.* Qui Antiphontis neglegentiam perspexerit, repudiabit Ignatii coniecturam *εἴ περ γὰρ κτλ.* Neque enim id est recentiorum munus, ut siquis locus primo obtutu non apte conformatus esse videtur, in concinnitatis formam redigere studeant, sed ut inquirant, num omnino explicari possit. Tum vero, cum eum omni iusto interpretationis subsidio repugnare apparuit, aspera medendi via est ingredienda, in qua tamen ne sriptori plus noceamus quam prosimus semper nobis cavendum est.

Unus restat locus, quo ne ipse quidem codicum scripturam genuinam esse crediderim, **II** γ 3: *οἵ τε ἧσσον κινδυνεύοντες τῶν μᾶλλον ἐν φόβῳ ὄντων οὐκ οἶδ' ὅπως ἂν μᾶλλον ἐπεβούλευσαν αὐτῷ.* Schaefer l. l. p. 12 *οἱ δὲ* proposuit legendum ille quidem, sed causa quam affert ad coniecturam suam stabiliendam mihi non satis idonea videtur. Neque enim quidquam facit ad rem, quod in priore oratiuncula (II β 5) compar argumentum δὲ particula inducitur. Immo vis ac

---

[1]) cf. etiam Kuehner, l. l. p. 789 Anm. 4.

natura ipsius τε particulae codd. fidei obstat; ea enim, ut supra exposuimus, est ratio huius voculae, ut enuntiata adnectantur, quae cum praegressis necessitudinis quodam vinculo coniuncta sunt. Hoc autem loco prorsus novum argumentum infertur, quod cum praecedente nullo modo cohaeret. Accedit, quod in hoc genere δὲ particulam adhibere orator in deliciis habet. Itaque οἵ τε in οἱ δὲ corrigendum est.

τε — τε.

τε — τε particulas praecipue apud poetas esse in usu satis constat, cum apud pedestres scriptores earum locum τε (καὶ) — καὶ coniunctio obtineat[1]). Iam si Antiphontem eas quodammodo in deliciis habere videmus, in propatulo est etiam hac ex parte eum amplius quoquam „τῶν πρὸ αὐτοῦ καὶ τῶν ποιητῶν μάλιστα“ consuetudinem esse amplexum. Post eius autem memoriam sensim pedetemptimque hic usus imminutus est, ita ut apud Demosthenem nihil fere nisi ἐάν τε — ἐάν τε remanserit[2]). Atque illorum quidem priscorum in modum Rhamnusius et singulas voces et tota enuntiata eorumve membra illis particulis coniungere solet. Sed priusquam progrediamur, paulisper subsistendum est. Mirum est enim, quanto tetralogiae orationibus praestent exemplorum frequentia. Quamquam cave ne quid perperam inde concludas. Haec enim in antiquissimorum libris discrimina manare perspicuum est ex natura et indole, qua erat lingua temporibus illis. Quam, cum adolesceret tum demum, omni ex parte sive in re grammatica sive in verborum usu fluctuare videmus, tanquam adulescentulum, qui ipse quoque tum demum, cum adulescentia deferbuit, certas vitae rationes sequitur. Itaque ne Antiphontis quidem elocutionem incon-

[1]) cf. Spengel Rh. Mus. 17, 167: „Die Verbindung der posit. Partikeln τε—τε ist der att. Sprache nicht unbekannt, aber sie ist ebenso selten wie jene mit τε—καὶ geläufig und regelmässig“.

[2]) cf. Fuhr, Excurse zu d. att. Rednern Rh. Mus. 33, p. 595 sq.

stantem sibi esse mirabimur neque censebimus esse, cur ex tali re de tetralogiarum fide addubitetur. Atque ut haec mea sententia etiam aliis adminiculis fulciatur, pauca afferre liceat. Velut in or. I praevalet *καὶ ἐπειδὴ* in narratione continuanda, in or. V *ἐπειδὴ δὲ*; simillime or. I adamat *οὖν* particulam, or. V non item; porro in or. V et I *τοῦτο μὲν — τοῦτο δὲ* frequentantur, sed nihil tale in or. VI; de *ἤδη* cf. p. 11 adn. 2. Praeterea autem suo iure Cucuel[1]) id attendi iubet Antiphontem in orationibus alterius nomine loqui, scilicet minus eruditi hominis, qui poetarum consuetudine saepius aequo usus eos qui aderant offendisset.

Quoniam de *τε—τε* particulis summatim exposuimus, nunc exempla ipsa perlustremus. Quorum ex mole ac multitudine ea tantum verbis exprimere liceat, de quibus habeo quae disputem, cetera solis numeris distinguam. Ac primum hi sunt loci, quibus verba coniunguntur: **VI** 5; **II** *α* 9; *γ* 3 bis; *δ* 1; **III** *α* 1; *β* 10; **IV** *γ* 2, ubi bis *τε—τε—τε* particulis tria membra copulantur concinne conformata illa quidem, sed non compari sede disposita. In hoc genere nonnulla exempla exstant, quae a communi consuetudine recedunt. Vulgaris enim collocatio ea est, ut membra, quae coniunguntur, nullo alio verbo interposito sese excipiant. In his autem exemplis ea, quae utrique membro communia sunt, media interposita esse invenies: **VI** 5 *ἀνάγκη δὲ τῆς τε δίκης νικᾶσθαι παρὰ τὸ ἀληθὲς αὐτοῦ τε τοῦ ἀληθοῦς*; **III** *α* 1 *ὑπό τε τοῦ νόμου κατακέκριται ὑπό τε τῶν ψηφισαμένων*. Etiam plus offensionis habet **II** *δ* 1 *Ἰδοὺ ἐγὼ τῇ τε ἀτυχίᾳ, ἣν... αἰτιῶμαι, ὡς οὗτοί φασιν, ἑκὼν ἐμαυτὸν ἐγχειρίζω, τῇ τε τούτων ἔχθρᾳ.*

Sequuntur ii loci, quibus enuntiata eorumve membra *τε—τε* particulis colligantur: **I** 18; **V** 84; **II** *α* 3; 7,1-2; 10 bis; *β* 2; 3; 7; 10; 11; *γ* 1; *δ* 3; 7; 10 bis; de II *δ* 11 cf. p. 24; **III** *β* 1; ib. 6 contra Spengelium (l. l.) et Blassium restituendum est *οἵ τε—οἱ δὲ*, nam recte infertur *δὲ* post *τε*,

---

[1]) Cucuel, essai sur la langue et le style d'Ant. Paris 1886, p. 131.

ubi partes habent, quo inter se opponantur[1]; hic autem οἵ τε, i. e. adulescentulus qui necavit, opponitur οἱ δὲ, i. e. is qui ipse suae mortis culpam sustinet. Porro 10 bis; 11; γ 2; 7; 9; de III β 8 et γ 12 cf. p. 23; **IV** α 2; 3-4; 7; β 7; 9; γ 1; δ 3; 6; 9; 10. Haec autem exempla si quis intentius perlegerit, eum non fugiet Antiphontem haud raro neglegentiam quandam commisisse, quod genus etiam alias deprehensum est. Collocatio enim illarum particularum legitima ea est, ut membris comparibus adiungantur[2]. Antiphon autem pro sua et propria scribendi licentia haud raro alterum τε ita primo sequentis enuntiati vocabulo subicit, ut non magnopere curet, utrum haec vox priori τε particula instructae respondeat necne. Cuiusmodi sunt **II** α 10 οἵ τε... ἐπιβουλεύοντες..., ἀσύμφορόν θ' ὑμῖν; ibidem alterum; β 3; 11; γ 1; **IV** α 2. Omnia vero haec concinnitatis neglectae exempla ad austeram illam compositionem spectant, quae grammaticarum legum severitatem non curat.

τε καὶ.

τε καὶ particulas praemonendum est non in omnibus oratt. eadem exemplorum frequentia uti. Namque cum in declamationibus, quippe in quibus τε—τε vocularum usus praevaleat, paene evanescant, in orationibus tritissimae sunt.

Iam vero vulgaris earum ratio est, ut cognata vel ea copulent, quae quasi in unum sint confundenda, cum καὶ—καὶ ea coniungat, quae inter se natura differant (cf. p. 20) et per se utrumque sint perpendenda. Atque hanc quidem

---

[1]) cf. Hartung, Lehre v. d. gr. Part. I 92 no. 5. — Kuehner l. l. p. 789, Anm. 3. — Krueger l. l. § 69, Anm. 6. Similiter inter se respondent οὔτε—δὲ II α 7-8; V 95; quam liberiorem particularum copulationem tragicis usitatissimam esse Ellendt, Lexic. Sophocl. p. 719, exemplis congestis comprobat.

[2]) cf. Buttmann, Gr. Gr. p. 512 in fin.

legem omnibus temporibus communem etiam Antiphontem sequi per se patet. Attamen studio quodam noster, quo maiorem dignitatem inferat orationi, *τε — καὶ* coniunctione notiones duas consociare solet, quarum alterautra ad aptum sensum plane suffecisset. Velut I 20 *ἡ δ' αἰτία τε ... καὶ ἐνθυμηθεῖσα* (scil. *τοῦ θανάτου*); post pauca *ὑμεῖς τε καὶ οἱ θεοί*; neque aliter 23; 24; 25; 28; V 1 *τῇ τε συμφορᾷ καὶ τοῖς κακοῖς τοῖς γεγενημένοις.* Huc pertinet etiam 18 *αὐτῷ τε ἐμοὶ περιέθεσαν καὶ τοῖς ἐμοῖς προσήκουσι,* quibus finitima sunt VI 38 *αὐτῷ τε ἐμοὶ καὶ τοῖς φίλοις.* Porro V 80 *ἐμοί τε βοηθεῖν καὶ τῷ δικαίῳ,* quae propinquam quandam cognationem habent cum I 24 et 25. Qua consuetudine perpensa VI 23 ex animi mei sententia amplector Sauppii coniecturam *οἱ σφῶν (τ' αὐτῶν) ἕνεκα καὶ τοῦ δικαίου.* Cum hoc genere dicendi arctissime cohaerent in tetrall. III *α* 1 *ὑπό τε τοῦ νόμου ... ὑπό τε τῶν ψηφισαμένων*; *β* 10 *ὑπό τε τῆς ἀληθείας ... ὑπό τε τοῦ νόμου*; IV *β* 6 quoad Reiskium sequamur conicientem *ὑπό τε τοῦ (νόμου ὑπό τε τοῦ) ἄρξαντος* (cf. p. 25).

Atque etiam in tetrall. illiusmodi cumulationis luculentissimum exstat exemplum IV *γ* 1 *ζῶν τε καὶ βλέπων*[1]), quod additamentum proxime abest a tragicorum, imprimis Sophoclis, *παρὼν ἰὼν μολὼν ἔχων λαβών,* in quibus saepe indignationis sive ludibrii est significatio.

Mire praeterea in illo genere conformata sunt V 88 et gemellum VI 6 *ἁμαρτία καὶ ἀσέβεια εἴς τε τοὺς θεοὺς καὶ τοὺς νόμους.* In aperto enim est *ἁμαρτία* ad *νόμους*, *εὐσέβεια* ad *θεοὺς* pertinere; sequitur, ut notiones *θεοὺς* et *νόμους* non in unam sint conflandae, sed per se utraque ad antecedentes sint referendae. Quae cum ita sint, rectius scripsisset Antiphon *καὶ—καὶ*, id quod probe usurpavit I 25 ... *δικαιότερον καὶ ὁσιώτερον καὶ πρὸς θεῶν καὶ πρὸς ἀνθρώπων.* Illius modi porro exemplum reperies etiam in tetrall. III *β* 12 *τήν τε οὖν εὐσέβειαν ... καὶ τὸ δίκαιον αἰδούμενοι ὁσίως καὶ δικαίως ἀπο-*

---

[1]) cf. simillimum apud Hom. Il. I 88 *ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο.*

λύετε ἡμᾶς, ubi verba *εὐσέβεια καὶ τὸ δίκαιον*, cum itidem propter *ὁσίως καί δικαίως* suam utrumque habeant dignitatem, non tam arcte constringi debuerunt.

Unum restat exemplum, quod maxime offendat legentem, I 14 *ἀνὴρ καλός τε καὶ ἀγαθὸς καὶ φίλος*; hoc, ut ait Schaefer, longius a vulgari Graecorum sermone recedit. Concedo. Sed reputandum est illa verba *καλὸς* et *ἀγαθὸς* aetate Antiphontea non modo non constantis formulae locum obtinuisse, sed ne trita quidem fuisse eodem quo post Socratis memoriam sensu. Quae quamvis ita sint, tamen non Ignatio adstipulor *τε* ad alterum *καὶ* referenti. Immo *τε καὶ* arcte cohaerentibus *καλὸς* et *ἀγαθὸς* in unum confundere voluisse oratorem persuasum habeo, ita ut his verbis una, *φίλος* verbo altera Philonei virtus praedicaretur.

Transeamus nunc ad novam Antiphontis in *τε καὶ* particularum usu proprietatem. Fuhrius in Mus. Rh. 23, p. 578 sqq. hanc legem constituit: „Die Redner (auch Anaximenes und der Verfasser vom Staate der Athener) vermeiden ebenso wie die officielle Sprache, die auf den Inschriften erscheint, fast ganz die Verbindung *τε καὶ*“ (i. e. alterum iuxta alterum positum). Tabellam autem, quam Fuhrius addidit, contemplantibus accuratius sic iudicandum esse nobis videtur: quo perfectiorem gradum sermo Atticus ascendit, eo magis *τε καὶ* voculae iuxta positae vitantur. Iam subsequantur Fuhrii verba (p. 582): „Wir sehen unter den Beispielen am meisten vertreten pronominale Verbindungen (*ἐμέ τε καὶ ἑαυτὸν*), sprichwörtliche Redensarten (*νῦν τε καὶ πρότερον, ἄνα τε καὶ κάτω*) zwei Zeitwörter“. Quodsi cum hac pura Atticorum ratione Antiphonteam comparamus, insigniter elucebit, quantum ab illa discrepet et quatenus hoc quoque in usu poetarum vestigia consequatur: **I** 14 *καλός τε καὶ ἀγαθὸς*; 20 *ὑμεῖς τε καὶ οἱ θεοὶ*; sim. 23; 28; **V** 41; **VI** 50; item in tetrall. **II** *δ* 7; **III** *δ* 8; **IV** *α* 1; *γ* 1.

Praeterea autem nostrum iam id ipsum spectasse, ut insolitam illam collocationem evitaret, nonnullis exemplis mire conformatis plane et perspicue comprobatur. Velut **I** 18 *ὁ*

δὲ ἐκπλεῖν τε μέλλων καὶ δειπνῶν, ubi *μέλλων τε* iustum esse nemo non videt; simillime VI 38 *αὐτῷ τε ἐμοὶ καὶ τοῖς φίλοις*, idem V 18; paulo aliter I 20 *ἡ δ' αἰτία τε ἤδη καὶ ἐνθυμηθεῖσα ἕξει* (scil. *τὰ ἐπίχειρα*), ubi hac mea observatione *ἤδη* voculae hyperbaton egregie explicatur. Porro V 65 ... *ἅμα τε πανουργοῦσι καὶ πρόφασιν εὑρίσκουσι*; 80 id quod duobus membris commune est, medium interponitur *ἐμοί τε βοηθεῖτε καὶ τῷ δικαίῳ*.

Inusitata *τε* voculae collocatio, ut hoc statim absolvam, praeter exempla modo allata occurrit VI 18 et 31.

Restat ut de proprietate quadam exponatur, quae ut a pedestris orationis scriptoribus aliena, ita apud poetas usitatissima est. Abundantiae enim poeticae studio commotus orator eis verbis, quae aequalitatem vel similitudinem significant, voculas *τε—καὶ* subicere solet[1]), cum vulgaris usus simplex *καὶ* (vel dativum) postulet. Exempla vero haec reperies V 92 *τὴν ἴσην γε δύναμιν ἔχει, ὅστις τε ἂν τῇ χειρὶ ἀποκτείνῃ ἀδίκως καὶ ὅστις τῇ ψήφῳ*; 89 = VI 6; VI 20; paulo aliter V 64 *ἐξ ἴσου τοῦτό ἐστι καὶ ὑμῖν καὶ ἐμοί*. Eodem sine dubio spectat illa exuberantia, quae continetur coniunctione *ἅμα*[2])—*τε καὶ* sive, id quod inusitatissimum est, *ἅμα τε—καὶ*: III δ 8 *ἅμα ἥμαρτέ τε καὶ ὑφ' ἑαυτοῦ ἐκολάσθη*; V 65 *ἅμα τε πανουργοῦσι καὶ πρόφασιν εὑρίσκουσι*.

οὐδὲ.

Supra explanatum est, quam proprium sit Autiphonteae elocutionis synonyma coacervare, ut oratio illa bimembris quae dicitur efficiatur. Quam ad rem ut illic *καὶ* adhibitum

---

[1]) Apud poetas exempli causa cf. Hom. Il. I 61; IV 122; VIII 214; XI 708; XV 257; XVI 644, 745; Soph. Ai. 1351; O. C. 255; 935; Phil. 390; Eur. Hec. 291.

[2]) cf. Fuhr., Rh. M. 23, p. 598.

est, item hic (*οὐ* vel alia negatione praemissa) *οὐδὲ* in usum venire videmus. Huius generis sunt **I** 27,5 ... *οὔτ' ἀνθρώπους αἰσχυνθεῖσα οὐδὲ δείσασα*; **V** 9,3-4; 22,6-7; 45,2; 87,4 = **VI** 4,2; huc pertinet etiam **V** 93,5 *μηδὲν* ... *ἀνόσιον εἰργασμένῳ μηδ'*... *ἠσεβηκότι*. Codices quidem suppeditant *μήτ'*, sed hoc iustae interpretationi repugnat. Itaque Frankio auctore Blassius probe restituit *μηδ'*, cui lectioni etiam hac proprietate perpensa certa additur fides. Alia exstant **VI** 4,2 = **V** 87,4; 19,2; 24,7 = 32,5; 37,6; 46,9. Neque minus in tetrall. **II** *α* 4,6; *δ* 3,3-4; 7,5; **III** *β* 3,4; 8,5-6; *γ* 11,2-3; *δ* 4,4-5.

οὔτε — οὔτε.

Ut *καὶ—καὶ* (cf. p. 20), sic etiam *οὔτε—οὔτε* (*μήτε—μήτε*) in genere cumulandi usurpatur, utrumque tamen rarius, cf. **I** 27,7 *μήτ' αἰδοῦς μήτ' ἐλέου μήτ' αἰσχύνης*; sim. **V** 44,4; **VI** 15,1-2 = 17,4-5; in tetrall. **II** *α* 9,8; *β* 12,3; **III** *γ* 5,2 et 8; simillimum ib. 6,8-9; **IV** *β* 2,2.

In his ut in aliis particulis inter se respondentibus deseritur interdum inchoata structura, ita ut anacoluthia quaedam existat. Velut **V** 95 scriptum videmus *οὔτε γὰρ* ... *ἐὰν δὲ καὶ*; simillime **II** *α* 7-8 *οὔτε γὰρ* ... *εἰ δὲ καὶ*[1]). **II** *α* 4 argumentatio, quae ab *οὔτε γὰρ* incipit, producitur particulis *οὐ μὴν οὐδὲ* ... *οὐδὲ μὴν οὐδὲ* ... *οὐδὲ μήν*. **V** 76 membrum ab *οὔτε* incipiens excipitur voculis *τοῦτο δὲ* cum notione negativa *ἀδυνάτως*; hac neglegentia perspecta **V** 57 Ignatio et editori Petropolitano adstipulor codicum scripturam *οὔτε γὰρ* retineri iubentibus.

---

[1]) Sic cum Ignatio contra Blassium scribi velim.

de negationibus.

Quoniam proxime enuntiata negantia perstrinximus, hic locus esse videtur, ut quid in negationibus Antiphontis sit proprium profitear. Atque hoc quidem ante omnia commemoratione dignum est, quod Rhamnusius cumulatione quadam negationum delectatur[1]). Hanc rationem autem in aperto est profectam esse a studio addendi gravissimum pondus sententiis movendique iudicum animos. Iam perlustra mihi exempla **I** 27 . . . *μήτε αἰσχύνης μηδεμιᾶς*; **V** 21-22 *οὔτε πείσας . . . οὐδαμοῦ ἀπελέγχομαι . . . οὔτ' αὖ . . . οὔτε καταδχόντες . . . ἀπὸ παρασκευῆς οὐδεμιᾶς*; 27 *οὔτε ὀπτὴρ οὐδεὶς . . . οὔτε ἄλλο σημεῖον οὐδέν*; porro 28,9; 41,2; 44,4; 60,7-8; 78,1-2; **VI** 15,7. Similia in tetrall. **II** *α* 4 *οὐ μὴν οὐδὲ . . . οὐδεὶς* et post pauca *οὐδὲ μὴν οὐδ'*, in quibus Homericae dictionis[2]) vestigia sunt. **III** *β* 7 *περὶ οὐδένα οὐδὲν ἥμαρτεν*; sim. *γ* 6,4; 9,7; *δ* 9,4; **IV** *γ* 3,5; *δ* 4,1-2; 7,4. —

Alia proprietas, quam item ad poetarum exemplum redire manifestum est, posita est in tmesi quadam. Velut **V** 25; 56; 93 scriptum videmus *οὐκ ἄν ποτε* pro vulgari *οὔποτε ἄν*; idem exaratur **III** *γ* 1. **II** *α* 9 *οὐκ ἔστιν ἔτι*; *δ* 5 *οὐκ ἂν ἔτι*. In prima autem et sexta oratione tali solutione abstinuit orator. Aliter res se habet in **III** *γ* 6 *οὐδ' εἰς ἕνα*, de qua forma lubenter amplector iudicium Rehdantzii, quod facit in indice II ad Dem. oratt. p. 262: „Die Trennung durch Präpositionen ist sehr häufig bei den Rednern". Ad hanc igitur regulam illud quidem exemplum compositum est, non tamen cetera **III** *β* 7 et *γ* 9 *περὶ οὐδένα* et *εἰς οὐδένα*. Quae cum ita sint, elucet nostrum nondum ita adamasse

[1]) cf. Madvig, Synt. d. gr. Spr. § 209 b. Anm.: „Die Wiederholung der Verneinung bei den einzelnen pronominalen Wörtern findet jedoch nur statt, wo die Verneinung mit Nachdruck als allgemein eingeschärft wird, sonst heisst es *οὐδεὶς πώποτε*, *οὔτε τις*" etc.

[2]) cf. exempli causa Il. II 703; X 299; XII 212; XVII 24; sim. *οὐδὲ γὰρ οὐδὲ* V 22; VI 130.

illam consuetudinem. Quid ita? Quia hunc usum, cum apud Herodotum tragicosque inusitatus esset, ne veteres quidem attici sermonis auctores recipiebant. Nam etiam Thucydides uno tantum loco, VIII 1, 2, hanc solutionem adscivisse videtur.

Pergamus nunc in negationum usu. Constat Graecos infinitivis, qui pendent ab eis verbis, quibus notio insita est negativa, pleonastice *μή* adiungere. Quam legem etiam Antiphontem sequi consentaneum est, cf. V 17; 34; 82; II *γ* 8; III *β* 9; *γ* 4; 7; attamen nonnullis locis longius, quam optimorum lex est, progredi mihi videtur. Neque enim apud alium quemquam deprehenderis ea quae **V** 32 *ἀπετρέπετο μηδὲν . . . καταψεύδεσθαι*; **II** *δ* 1 *ἀποστερούμενος . . . μηδὲ . . . ἀνακλαύσασθαι*; **III** *β* 9 = **IV** *β* 3 *εἴργοντι μήτε . . . μήτε . . . ἀποκτείνειν*; praeterea quae sunt **III** *β* 9 *ἀπολύεται μηδὲ ἀκουσίως ἀποκτεῖναι* et **V** 17 *ἐμοὶ μόνῳ ἐπέλιπε μὴ ὠφελῆσαι*[1]). Diversitas vero quaedam apparet in constructione verbi *διακωλύειν*; in or. **V** 82 enim ei subicitur *μή*, in tetralogiis non item, cf. **III** *β* 4; 7; *γ* 6; 8. Quae quamvis apud Rhamnusium deprehendatur, tamen inde aliquid ad tetralogias condemnandas redundare perperam iudicavit Brueckner[2]). Nam praeterquam quod ex eiusmodi apud Antiphontem discriminibus nihil efficitur, eum ad Madvigii V. D. gravissimum iudicium[3]) revoco, qui profitetur *διακωλύειν* verbum apud scriptores graecos haud constanter ad illam legem formari, immo variari potius, atque ita quidem, ut *διακωλύειν*, *μή* particula omissa, usitatius sit.

Ut Graeci post verba negantia per abundantiam *μή* apud infinitivum, vernacula lingua affirmativum, inferre solent, sic *μὴ οὐ* ponunt, cum infinitivus negatur. Atque certum quendam verborum numerum grammatici constituerunt, quae a probatissimis auctoribus ad illam regulam

---

[1]) cf. *εἴργειν μή* Thuc. III 6,2; *ἀπολύειν μή* Her. II 174; Thuc. I 95,5; 128,3. Est igitur antiquissimorum usus liberior.

[2]) Brueckner, de tetrall. Antiph. Rhamn. adscriptis, diss. Lips. 1887.

[3]) Madvig, l. l. § 210 Anm. 1.

conformantur[1]). Antiphontem vero etiam in hac re maiore licentia uti videmus. Considera mihi V 87 = VI 5 *οὐδεὶς ἂν τολμήσειεν . . . μὴ οὐ χρῆσθαι τῷ νόμῳ* et VI 15 *ἦν . . . οὐδεὶς οἷός τ' ἂν εἴη ἀποτρέψαι μὴ οὐ γενέσθαι.*

Proximus locus est eius proprietatis, qua *μὴ* et *οὐ* particulae commutantur. Velut exstat V 14 = VI 2 . . . *εἰ . . . κεῖνται ἢ μή*, post pauca vero *εἰ . . . διδάσκουσι . . . ἢ οὔ.* Hoc quantum video in perpolito Attico sermone inusitatum erat. Plato quidem et Xenophon hunc usum exhibent[2]), sed eidem non ii sunt, a quibus bene Attice dicendi ratio discatur. Illum enim, ut sententiis suis maiorem dignitatem gravitatemque adderet, priscorum vestigia consecutum esse nemo ignorat; hunc, quippe qui „*πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω*", ex diversis dialectis conflavisse suam elocutionem facile est ad perspiciendum. Quae cum ita sint, non verum attingere mihi videntur grammatici, imprimis Madvigius, cum Attici sermonis exempla totiens Thucydidis Platonis Xenophontis aliorum huiusmodi scripta proponunt. Sed redeat unde aberravit oratio. Equidem ex eis quae Kuehner[3]) affert exemplis colligo illam *οὐ* et *μὴ* particularum inconstantiam praecipue antiquioribus auctoribus esse tribuendam. Iam pergamus exempla perlustrare. Proprie conformatum invenies V 66 *μὴ . . . ἐμοὶ νείμητε τὸ ἄπορον τοῦτο, ἐν ᾧ μηδ' ἂν αὐτοὶ ηὐπορεῖτε*; in enuntiato relativo non generalem sententiam subesse, sed de una eaque certa re dici nemo non primo obtutu videt. Sed „sowie[4]) statt *ὅτι οὐ* oft *εἰ μὴ* gebraucht wird, wenn der Grund allgemeiner aufgefasst wird, ebenso wird auch oft *ὅς μὴ* = *εἰ μὴ* statt *ὅτι οὐ* gebraucht". Huc pertinent V 65 *ἐμοὶ μὲν γὰρ τῷ μὴ εἰργασμένῳ*[5])

---

[1]) cf. Seyffert-v. Bamberg, Hauptregeln d. gr. Syntax, Berlin 1893, 23. A., § 157 1 b *α*.

[2]) cf. Kuehner, l. l. p. 749 Anm. 1.

[3]) l. l. p. 749 Anm. 1.

[4]) Kuehner l. l. p. 745.

[5]) Kuehner p. 756 Anm. 3: „Wenn das Particip einen Grund angiebt, steht gewöhnlich *οὐ*!"

et II β 4 ἄθλια . . . πάσχω μὴ ἀπολογεῖσθαι μόνον βιαζόμενος. Omnium vero maxime offendit V 21, ubi codd. exhibent σκοπεῖτε, ὅτι μὴ προνοίᾳ μᾶλλον ἐγίγνετο ἢ τύχῃ. Quod quia criticis non grammaticae structurae subtilitati conveniens videbatur, textui medelam afferre conati sunt. Qua in re omnem operam perdiderunt. Nam ea qua Antiphon erat aetate dialectus Attica in oriendi crescendique condicione versabatur, ita ut nondum ratis firmisque regulis niteretur. Quare perperam agunt critici, cum eas leges, ad quas optimorum auctorum oratio composita est, etiam Antiphonti obtrudere student. Velut Maetzner simpliciter μὴ in οὐ mutavit; Blassius Jebbio auctore correxit (οὐ τῇ ἐ)μῇ. Immo ex inconstantia illa, quam supra tractavi, satis efficitur, ut hoc loco μὴ particula suum habeat locum[1]).

II. Disiunctivae.

ἢ disiunctivum.

ἢ particulae vulgarem rationem eam esse constat, ut enuntiata eorumve membra componat, quae alterum excludant alterum. Praeterea autem binas notiones coniungere solet, quarum utra ponatur in medio relinquitur[2]). In quo genere hoc ἢ haud raro commode καὶ vocula potest commutari. Atque hic quidem usus Antiphontis maxime proprius est. Nam hoc modo orator illam suam accuratam et subtilem periodi partium distinctionem et divisionem assequitur, de qua in καὶ vocula commentanda monuimus. Cuius generis sunt I 4,4 πρὸς τίνας οὖν ἔλθῃ τις βοηθούς, ἢ ποῖ τὴν καταφυγὴν ποιήσεται; 10,8-9; 26,7; V 38,5-6 εἰ . . . τὸν

[1]) Jernstedtium ipsum quoque ὅτι μὴ retinuisse gaudeo.
[2]) cf. Kuehner, l. l. p. 836, 2.

ἄνδρα ἠφάνισα ἢ μὴ ἤθελον ἐκδοῦναι; 82,3; 66,5; 84,3; VI 13,7; 17,2 *κελεύσειε . . . ἢ ἠνάγκασεν ἢ ἔδωκεν*; 27,2-4; 32,7; 47,1 *πῶς ἂν . . . σχετλιώτεροι ἢ ἀνομώτεροι γένοιντο*; 49,1-3, cuius simillimum est 51,1-3.

Atque ne tetralogias quidem haec consuetudo prorsus deficere videtur: II δ 8,4 *ὁπόσοι . . . δοῦλοί μοι ἢ δοῦλαί εἰσιν*; IV α 3,4 *οἱ παρὰ τὸ δίκαιον κρίνοντες ἢ μαρτυροῦντες*; β 2,4 *εἰ . . . σιδήρῳ ἢ λίθῳ ἢ ξύλῳ ἠμυνάμην*.

ἢ comparativum.

ἢ post comparativos illatum per se non habet quicquam singulare. Antiphontem autem hanc dictionem in deliciis habere videmus. Haec enim in illo antithetorum genere est, quod priscorum maximeque Antiphontis proprium esse supra commemoravimus (p. 8). Huiusmodi sunt I 27,2 *ἐλεεῖν ἐπὶ τοῖς ἀκουσίοις παθήμασι μᾶλλον προσήκει ἢ τοῖς ἑκουσίοις*; V 5,3 *ἀπειρίᾳ... μᾶλλον ἢ ἀδικίᾳ* et post pauca *ἀληθείᾳ μᾶλλον ἢ δεινότητι*; non secus 6,4-5; 18,6; 21,6; 42,6-7; 69,10; 73,1-2; 79,2; VI 1,8 *τύχῃ μᾶλλον ἢ ἀδικίᾳ* (cf. V 6,4-5); 10,9; 18,11.

Eandem rationem atque eam non rarius reperimus in declamationibus: II β 3,7 *διακωλύειν μᾶλλον ἢ αὐτὸν ἐργασάμενον εἰς ἑκουσίους... ὑποψίας ἐμπεσεῖν*; 8,4; γ 5,1; 9,2; δ 2,8; 4,3; ib. 5-6; 5,4-5; 8,1-2; IV β 8,2; δ 1,3; 5,4; 9,4 et 5-6.

Notandum est Antiphontem aeque ac ceteros scriptores *μᾶλλον ἢ* voculas arcte componere solere, ita ut prope formulae speciem induere videantur. Qua re fit, ut proprie, quamvis comparativus praecedat, tamen ἢ particulae insuper *μᾶλλον* praefigatur. Ecce exempla V 59 *σοὶ μᾶλλον ἐγὼ τὴν πρόφασιν ταύτην ἔχοιμ' ἂν... ἀναθεῖναι... μᾶλλον ἢ σὺ ἐμοί*; II β 8 *εἰκότερον ἦν... φυλάξασθαι καὶ μὴ παραγενέσθαι τῷ ἔργῳ μᾶλλον ἢ τοῦτον σφαττόμενον ὀρθῶς γνῶναι*.

εἴτε—εἴτε (ἐάν τε—ἐάν τε).

Harum quidem particularum usus apud Rhamnusium rarissimus est; uno enim loco, **II** γ 2, exaratur εἴτε—εἴτε. Sed si quis intentius perlegerit orationes **I** et **V**, eum non fugiet Antiphontem alio eoque proprio modo sententias disiunxisse. Ut enim illis orationibus pro καὶ—καὶ sive τε—τε peculiare est τοῦτο μὲν—τοῦτο δὲ, sic pro εἴτε—εἴτε (ἐάν τε—ἐάν τε) in usum veniunt τοῦτο μὲν εἰ (ἐὰν) — τοῦτο δὲ εἰ (ἐάν), quod his exemplis illustrabitur: **I** 1 ἀπόρως ἔχει μοι περὶ τοῦ πράγματος..., τοῦτο μὲν εἰ ἐπισκήψαντος τοῦ πατρὸς ἐπεξελθεῖν τοῖς ἑαυτοῦ φονεῦσι μὴ ἐπέξειμι, τοῦτο δὲ εἰ ἐπεξιόντι ἀναγκαίως ἔχει οἷς ἥκιστα ἐχρῆν ἐν διαφορᾷ καταστῆναι; et **V** 5 τάδε δέομαι ὑμῶν, τοῦτο μὲν ἐάν τι τῇ γλώσσῃ ἁμάρτω, συγγνώμην ἔχειν μοι..., τοῦτο δὲ ἐάν τι ὀρθῶς εἴπω, ἀληθείᾳ μᾶλλον ἢ δεινότητι εἰρῆσθαι (scil. ἡγεῖσθαι).

III. Adversativae.

ἀλλά.

ἀλλὰ particulam id inducere, quod praegressis adversetur et hunc in modum ab omnibus usurpari exploratum est. Apud Antiphontem vero id studium praevalere videmus, quo hanc particulam antecedenti οὐ obiciat. Sic exsistit figura illa antitheseos, quae Antiphonti magnopere est in deliciis. Longum est omnia exempla enumerare, cum praesertim in altera quaque paene dixerim paragrapho tale inveniatur. Neque vero non longum, sed cum apud omnes haec oppositio exstet, etiam fortasse periculum est, ne amplius, quam nobis propositum est, progredi videamur. Itaque ea tantum eligere liceat, quibus potissimum Antiphontea subtilitas cognoscatur, i. e. in quibus alterum membrum superfluum et nonnisi ad alterum premendum additum esse in promptu manifestumque est. Velut **I** 3,3 μὴ ἅπαξ, ἀλλὰ

πολλάκις; 13,5; 22,4-5 *ὑμεῖς δὲ οὐ τῶν ἀποκτεινάντων ἐστὲ βοηθοί, ἀλλὰ... τῶν ἀποθνησκόντων*; 26,8; 28,4-6; **V** 22,3-4 *οὔτε... ἀπὸ παρασκευῆς οὐδεμιᾶς, ἀλλ' ἀνάγκῃ χρησάμενοι*; ib. 6-8; 29,6; 41,4-5; 69,4; 71,6-7 *μὴ οὖν ὕστερον τοῦτο γνῶτε..., ἀλλὰ πρότερον γ' εὖ βουλεύσασθε*; 94,9-10; **VI** 1,6; 7,6-7; 18,4-5 *οὐκ ἐν τοῖς τούτων* (scil. *κατηγόρων*) *λόγοις..., ἀλλ' ἐν τῷ δικαίῳ καὶ τῷ ἀληθεῖ*; 24,5-6.

Atque non „*ἐλάσσω, ἀλλὰ πολὺ πλείω,*" ut ita dicam, exempla invenies in tetrall., quippe cum in earum contracta et astricta argumentandi ratione brevibus antithetis optime sententiarum pondus dignitasque efficiatur, cf. **II** *α* 7,5; *β* 5,1 *οὐκ ἀπεικός..., ἀλλὰ εἰκὸς*; 12,8 *οὐ δικαζόμενον, ἀλλ' ἐργαζόμενον*; *γ* 6,1; 8,5; ib. 10 (cf. I 28,4-6); *δ* 3,3; 10,2 (cf. *γ* 8,5); **III** *β* 3,4-5; 7,2-3; 11,3-4; *γ* 7,6-7 *οὐδὲ ἀφανής, ἀλλὰ καὶ λίαν φανερὸς*; 11,5; *δ* 9,2; 10,1 et 4-7; **IV** *β* 2,5; idem 3,7; *γ* 3, 1-2; *δ* 6,1.

Videamus nunc de coniunctione *οὐ μόνον, ἀλλὰ καί*, de qua non multa habeo, quae dicam. Primum quidem hoc commemoratione dignum mihi videtur, quod Antiphon eam studio quodam amplectitur, ut oratione divisa plus ponderis afferat sententiis animosque iudicum vehementius percutiat. Cuius rationis luculentissimum exemplum exstat **VI** 33 *ἀποδείξω ὑμῖν τοὺς κατηγόρους... ἀξίους οὐ μόνον ὑπ' ἐμοῦ μισεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ ὑφ' ὑμῶν πάντων*; per se patet accusatores apud reum summo in odio esse, ita ut paene superfluum sit hoc membrum; sed praemittit orator, ut alterius gravitatem exaggeret. Proprium praeterea est, quod non semel *οὐ μόνον* ita collocatur, ut vocula *μόνον* ei verbo, quod premitur, subiciatur. Velut **V** 60 *οὐχ ὑπὲρ ἑαυτοῦ μόνον*. Saepius in tetrall. **II** *β* 4 *μὴ ἀπολογεῖσθαι μόνον βιαζόμενος*; **III** *δ* 7; **IV** *β* 1.

δέ.

Supra monuimus, quam simplex sit ratio Antiphontea partes orationis conectendi atque affirmavimus causam huius rei in eo esse positam, quod priscae illi arti oratoriae, ut-

pote quae in incunabulis versaretur, nondum ita locuples orationis variandae apparatus suppeditaret (cf. p. 16). Iam videbimus in iis adminiculis, quibus potissimum Antiphon ad orationem continuandam nititur, ante omnia etiam δὲ[1]) esse habendum. Atque duplex quidem eius in transeundi genere est ratio. Neque enim solum ad singula argumenta conectenda, sed etiam ad singulas orationis partes adnectendas pertinet, quem usum in proba graecitate longe angustioribus finibus circumscriptum reperies. Exempla vero prioris generis exstant **I** 3,1; 12,5; 15,1; 19,1; **V** 13.1; 16,1; 17,1; 26,1; 42,1; 54,1; 62,6; 67,1; 73,1; 88,2; 92,1; 93,1; 95,1; **VI** 20,1; 12,2; 25,1; 44,1. Huc quodammodo etiam ea exempla spectant, quae δὲ (—) καὶ exhibent, cf. p. 17.

Iam vero percurre mihi hoc utrumque genus. Quid? in or. VI id nonne rarius in usum venire in promptu est? Praeterea intelleges or. V familiarissimum esse in narratione deducenda ἐπειδὴ δὲ: **V** 23,1; ib. 4-5 δὲ... ἐπειδή; 24,5; 29,1; 41,1; 56,1; 77,1 = VI 12,2 (ἐπεὶ δὲ); V 25,5-8 (μὲν—ἐπειδὴ δὲ); 29,3-6; 33,1-3; 40,2-4; 55,3-4; 76,1-3.

De δὲ in testimoniis proferendis cf. p. 16

Aliud porro aliqua attentione dignum est. Apud posteros enim δὲ cum τεκμήριον, σημεῖον, μαρτύριον, τὸ μέγιστον compendiario dicendi modo coniunctum invenimus, ita ut quasi formulam efficiant; non item apud nostrum. Immo eius elocutionem, cum in primitiis versetur, ne hac quidem in re sibi constantem esse videmus. Velut **V** 61 exaratur posteriorum forma legitima: τεκμήριον δὲ μέγιστον, ὡς οὐ κτλ.; 63 vero καὶ μὲν δὴ . . . τεκμήριόν ἐστιν, ὅτι κτλ.; item fere **VI** 41 et 43.

Iam tetrall. consideremus. In quibus cum non verae causae sint, minus quam in ceteris studium varie et artificiose adnectendi argumenta deprehenderis. Quin etiam interdum complura deinceps simplici δὲ adiunguntur. Velut **II** α 5,1; β 6,4; 7,1; 8,1; 9,1; 11,1; 13,1; γ 3,1 (cf. p. 25);

[1]) cf. Schepe, de transitionis formulis, quibus oratt. Attici praeter Isocr. Aesch. Dem. utuntur, Prgr. Bueckeburg 1878.

4,1; 6,1; 7,1; 8,1 et 5; δ 4,3; 6,1; 7,1; 8,1; 9,1; 10,1; **III** β 6,1; γ 3,1; 8,1; δ 4,1; 5,1; 6,1; 8,1; 9,7; **IV** β 3,1; 6,2; γ 3,6; 4,1; ib. 9; 5,1; δ 7,1; 8,1.

Magis autem mirum videtur, quod Antiphon *δὲ* particula haud raro etiam ad nova orationis capita inducenda uti solet. Velut **I** 5 *θαυμάζω δ' ἔγωγε* verbis introducitur anteoccupatio[1]) (*προκατάληψις*); idem **I** 28; **V** 20 *ἐγὼ δὲ τὸν μὲν πλοῦν ἐποιησάμην* narratio; 74 ea inducit, quae extra causam sunt, quae *ἐξετάσει* non dissimilia esse Linder l. l. p. 57 autumat; **VI** 7 ab *ἐγὼ δέ, ὦ ἄνδρες,* initium sumit prooemii pars illa „*πρὸς εὔνοιαν*“ sive *κακολογία* quae vocatur; **VI** 10 ab *ἄρξομαι δὲ ἐντεῦθεν* verbis *πρόθεσις*.

Eundem usum habes in tetrall.: **II** α 9 *ἐξελεγχόμενος δὲ κτλ.* (epilogus); β 5,1 (*εἰκός* quod vocatur); γ 9,1 (epilogus); δ 11,1 (epilogus); **III** γ 11,1 (epilogus); δ 3,1 (*βεβαίωσις* quae dicitur); **IV** α 7,4 (epilogus); γ 2,1 (*βεβαίωσις*); ib. 6,1 (epilogus); δ 2,1 (*βεβαίωσις*); δ 10,1 (epilogus).

Videamus nunc de usu quodam, qui tetrall. peculiaris esse videtur. Ex quo redundare aliquid ii arbitrantur, qui tetrall. Antiphontis esse negant[2]). Penitus autem perspicienti discrimen inter orationes et declamationes non tantum videbitur, ut iustam dubitationis ansam praebeat. Saepius enim in declamationibus sententiae praecedenti nova aliqua *δὲ* particula indicata additur, quae ex illa tanquam censequitur sic ut probe vertamus „also“; atque haud raro ex superioribus vox quaedam ipsa vel eius consimilis repetitur. Velut exstat **II** α 3,5 *ἡ ποινὴ . . . εἰς ἡμᾶς ἀναχωρεῖ. ἅπαντος δὲ τοῦ μιάσματος ἀναχωροῦντος εἰς ἡμᾶς κτλ.*; neque aliter **II** β 12,9; δ 5,5; 6,3; 10,8; **III** β 2,1; 5,1; 8,4; 10,1; γ 6,9; 10,8; 11,8; δ 4,8; 8,8; **IV** β 6,6; δ 3,1.

Eiusdem vero generis vestigia etiam in or. **V** deprehendisse mihi videor, velut V 87 *ἀνάγκη* (scil. *καὶ μὴ ὄντα φονέα*) . . . *τῇ δίκῃ καὶ τῷ νόμῳ χρῆσθαι* . . .; quae sequitur

---

[1]) Sequor Linderum, de rerum dispositione apud Ant. et And. oratt. Att., Upsal. 1859; de I 5 et II α 9 cf. adn. 83 et 87.

[2]) cf. Brueckner, de tetrall. Ant. adscriptis, Lips. 87, p. 20.

in fine *ἀνάγκη δὲ τῆς δίκης νικᾶσθαι παρὰ τὸ ἀληθές, αὐτοῦ τε τοῦ ἀληθοῦς*; simillime loco gemello **VI** 5. Eodem sensu accipi potest **V** 15 *σὺ δὲ μόνος δὴ τετόλμηκας γενέσθαι νομοθέτης ἐπὶ τὰ πονηρότερα. καὶ ταῦτα παρελθὼν ζητεῖς με ἀδίκως ἀπολέσαι. ἃ δὲ σὺ παρανομεῖς, αὐτὰ ταῦτά μοι μέγιστα τεκμήριά ἐστιν.*

Quid igitur? his exemplis nonne illius iudicium labefactari videtur? At enim hoc genus in tetrall. multo frequentius est. Quasi vero his discriminibus apud nostrum quicquam probabili ratione comprobetur. Accedit, quod hic tetrall. praecipue proprius usus ad dialecticorum acumen quoddam et dicendi subtilitatem spectat, quam declamationibus potius quam orationibus convenire apertum est. Etenim „dans les discours Antiphon parle au nom d'un autre (scil. minus eruditi): est—il probable qu'il s'exprime comme s'il avait à parler en son propre nom?“ [1]).

Nunc quaerendum est de proprietate *μὲν* ante *δὲ* omittendi. Sollemnis Graecorum ratio fert, ut, ubi duae voces sibi opponuntur, alteri *μὲν*, alteri *δὲ* subiciatur. Aliter Rhamnusius. Apud eum, praeterquam quod interdum opposita membra haud ita dilucide elaborata sunt, vel in iis, ubi pura et emendata scribendi ratio utramque particulam postulat, *μὲν* plane omissam videmus. Cuius generis sunt **I** 11 *εἰ οὗτοι . . . ἠθέλησαν . . ., ἐγὼ δὲ μὴ ἠθέλησα*; 16,3; 19,5-7; **V** 7,3; 65,8-9; 54, ubi in ipsa anaphora *μὲν* neglegitur, qui usus ad poetarum [2]) exemplum referendus est; porro 70,4-6; 77,2-3; 94,2-3; **VI** 8,5-6, ubi pro *μοι* exspectaveris *ἐμοὶ* vel *ἐμαυτῷ*; 15,4-5; 29,5-6.

In tetralogiis exstant **II** *α* 2,4-5; *β* 11,2-4; *δ* 3,1-4; **III** *γ* 3,8.

Hac igitur proprietate probe fixa ac stabilita compluribus locis, quos perperam critici tentarunt, lucem afferre possumus: **VI** 7,3-8,1; 43,3-4; item in tetrall. **II** *δ* 11,4-7 (cf. p. 24).

---

[1]) cf. Cucuel, essai sur la langue et le style de l'orateur Ant., Paris 1886, p. 131.

[2]) cf. Krueger, l. l. § 59,1 Anm. 4.

Cum hoc usu cohaeret ea ratio, ut Antiphon verba ἐγὼ δὲ proferat, quibus in praegressis non respondent οὗτοι μὲν, quamquam optime scribi potuerunt. Atque hoc quidem praecipue in tetralogiis occurrit, quippe cum in his potissimum accusatio et responsio acriter sibi obiciantur. Velut **II** δ 4,3-5,1 φασὶ ... ἐγὼ δὲ ... δοκῶ; eiusdemmodi **III** γ 5,3-6; ib. 7,3-8; **IV** β 3,1-4; γ 4,1-4.

In oratt. tale exstat **V** 39,1-2 ... τάδε λέγουσιν ... ἐγὼ δέ φημι. Huc spectant fortasse haec minus perspicue comparata **I** 5,3-4; **V** 85,4-5; 93,8-11.

μὲν — δὲ.

μὲν—δὲ particulae in earum numero sunt, quibus amplissima maximeque varia ab Antiphonte data est provincia. Vulgo iis sententiae sibi opponuntur atque ita, ut membris comparibus, alteri μὲν alteri δὲ, affigantur. Rhamnusius vero aliquoties ita a sollemni ratione recedit, ut illas duobus verbis unius eiusdemque sententiae subiciat. Velut **III** δ 2 ἀληθῆ μέν, λεπτὰ δὲ καὶ ἀκριβῆ; **IV** β 3 ὑπ' ἐμοῦ μέν, δικαίως δὲ. His strictim commemoratis ad ea transeamus, quibus potissimum proprietas Antiphontea deprehenditur.

Non semel commonuimus, quam late pateat antitheta efficiendi consuetudo. Iam videbimus ad hunc usum a nostro etiam μὲν—δὲ particulas adhiberi, atque ita quidem, ut μὲν voculae negatio subiciatur. Cuiusmodi sunt **V** 39,3 ἐγὼ δέ φημι ταῦτα μὲν οὐ λέγειν αὐτόν, ὅτι δὲ κτλ.; 55,2-3 τὸ μὲν πρῶτον οὐχ ηὗρον..., ὕστερον δέ; item 63,3; 68,8-9; 82,6-7; **VI** 29,5-6, ubi μὲν omissum est.

Aeque in tetrall. **II** γ 9,4; **III** α 2,2-3; β 7,7; 8,5-6; 10, 5-6; paulo aliter conformatum est **II** β 10,2 εἰκότως μὲν, ὄντως δὲ μὴ (cf. II δ 10,2).

Paulo ante explicatum est μὲν—δὲ vi opponendi esse praeditas. Apud nostrum vero est, ubi proprie iis enuntiatis

inserantur, quibus ne minimum quidem insit contrarii. Ita fit, ut eodem quo *τε—καὶ* voculae munere fungantur. Velut **V** 31 *κατεψεύσατό μου, τὴν μὲν ἐλευθερίαν ἐλπίσας οἴσεσθαι, τῆς δὲ βασάνου εἰς τὸ παραχρῆμα βουλόμενος ἀπηλλάχθαι.* Eadem ratio quodammodo cerni potest in **V** 79 *ἠλλάξαντο μὲν... κακοδαιμονίαν, ἐπεῖδον δὲ τὴν ἑαυτῶν πατρίδα ἀνάστατον γενομένην,* sed qui genuinus nexus intercedat, infra disseretur. Praeterea **VI** 45 *ἐπιστάμενοι μὲν τοὺς νόμους...*, *ὁρῶντες δ' ἐμὲ βουλεύοντα.*

Magis vero conspicuus est hic usus in tetrall.: **II** *α* 1, 3-4; 6,4-6; 11,3; *γ* 10,1-2; **III** *α* 2,4; **IV** *α* 2,7-8; *β* 7,3-4, ubi singularis structurae neglegentia observatur.

Atque etiam verba ipsa tali modo copulantur **II** *γ* 8,4 *εἰκότως μὲν ἀνοσίως δὲ* et **III** *γ* 5,4-5 *ἁπάσης μὲν γῆς ἁμαρτόντα, πάντων δὲ σωμάτων.*

Ab hoc usu proxime abest is, quo *μὲν—δὲ* verbo cum anaphora dupliciter posito adduntur. Nam ea est anaphorae ratio, ut duo enuntiata sive membra uno verbo repetito inter se copulentur. Ponitur autem haec figura, „quando, ut ait Aquila Romanus c. 34, praecipue et ipsi commoti videri volunt oratores et iudicem commovere[1])“. Ad quae Rehdantzius in indice I, p. 159, addit minore vehementia esse id genus, quod *μὲν—δὲ* particulis conformetur. Atque id quidem, ut idem Rehdantzius scite enucleavit, apud optimos oratores praeter Demosthenem rarius invenitur. Sed si quis magnum illum Demosthenis orationum numerum cum exemplorum copia comparaverit, ne apud hunc ipsum quidem illud nimis frequentari ingenue fatebitur. Iam vero quo studio Antiphon huic generi indulgeat, ex his exemplis[2]) insigniter elucebit: **V** 12 *ἀνώμοτος μὲν — ἀν. δὲ*; 45 *νύκτωρ μὲν—ν. δὲ*; 54 *διάφορον—δ. δὲ* (cf. p. 42 ad V 54); **VI** 25 *εἶεν μὲν—εἶεν δὲ* et post pauca *ἐξείη μὲν—ἐξ. δὲ.*

---

[1]) cf. conspectum, quem Rehdantzius praebet in „Dem. 9 Phil. Reden“, ind. I, p. 158.

[2]) Omittenda sunt ea, quae ubique satis trita sunt: *πολλοὶ μὲν— π. δὲ, τοτὲ μὲν — τ. δὲ* al.

In tetrall. reperies **II** *α* 6 εἰκότως μὲν—εἰκ. δὲ; **IV** *δ* 9 κοινὴν μὲν—κ. δὲ; sim. **IV** *α* 6 ὡς μὲν—ὡς δὲ.

Maxime autem in hoc genere copulativo mira maximeque Antiphontis propria est locutio τοῦτο μὲν—τοῦτο δὲ = et—et. Quae quamvis tantummodo in orr. **I** et **V** inveniatur, tamen nemo erit, cui hoc ullam moveat dubitationem, praesertim cum saepius de huiusmodi discriminibus exposuerim (cf. pp. 11 adn. 2; 26 sq.; 34; 42). Fontem autem, unde mira illa coniunctio defluxerit, Herodoti libros esse recte iudicat Madvigius, l. l. p. 231 Anm. 1. Invenitur autem apud omnes pedestris orationis scriptores, sed ita, ut quo quis proprius ad perfectiorem Attice dicendi rationem accedit, eo magis eam aspernetur[1]). Appono locos: **I** 1; 11; **V** 5; 26; 31; 50; 52; 53; 67; 81; 83.

In hac locutione praeterea illud attentione dignum est, quod pro oratoris nostri aspera et inaequali componendi ratione, quae ad illud γένος αὐστηρόν[2]) quod vocatur spectat, non semper, sicut severis legibus postulatur, τοῦτο μὲν — τοῦτο δὲ sibi respondent[3]). Velut exstat **I** 9-10 τοῦτο μὲν—τε; **V** 94 τοῦτο μὲν—δὲ; 13 καὶ—τοῦτο δὲ; 76 οὔτε—τοῦτο δ' αὖ (cf. V 95 et II *α* 8 οὔτε—δὲ); 68-69 αὐτίκα—ἔπειτα—τοῦτο δὲ—τοῦτο δὲ; 82 nulla particula—τοῦτο δὲ.

Nunc pauca disserenda sunt de usu Antiphontis in enumeratione. Cuius communem et pervagatam formam esse πρῶτον μὲν—ἔπειτα nemo nescit[4]). Quae etiamsi apud nostrum quoque satis frequentatur, tamen non raro a legi-

---

[1]) cf. Rehdantz, l. l. p. 253.

[2]) cf. Dionys. Halic. de comp. verb. c. 22: οὔτ' ἀναγκαίᾳ ἀκολουθίᾳ δουλεύοντα (scil. τὰ κῶλα τῆς αὐστηρᾶς ἁρμονίας), ἀλλ' εὐγενῆ καὶ ἁπλᾶ καὶ ἐλεύθερα. φύσει τ' ἐοικέναι μᾶλλον αὐτὰ βούλεται ἢ τέχνῃ.

[3]) Idem attingunt Hoppe, Ant. specimen. Hal. 1874, p. 34; Both, de Ant. et Thuc. genere dicendi, Marb. 1877, p. 54.

[4]) cf. Buttmann, l. l. p. 519, 13; Curtius, Gr. Schulgr., 1878[12], § 628 Anm. 1; Rehdantz, l. l. p. 253, ubi haec constituit: „πρῶτον μὲν wird am häufigsten fortgesetzt durch ἔπειτα oder εἶτα, welchen bisweilen (bei Thuc. ebenso oft wie es fehlt) δὲ hinzutritt." εἶτα apud Ant. in enumeratione non exstat.

tima ratione eum abhorrere videmus. Causa vero tibi circumspicienti haec eadem videbitur, quod eius elocutio „εὐγενὴς καὶ ἁπλῆ καὶ ἐλευθέρα esse quam ἀναγκαίᾳ ἀκολουθίᾳ servire“ mavult. Iam perlustra mihi exempla: V 29 πρῶτον μὲν—καὶ ἐπειδὴ—ἐπειδὴ δὲ; 40-41 πρῶτον μὲν—δὲ—δὲ; 14 = VI 2 μὲν—ἔπειτα. Haud paucis autem locis tale anacoluthon, ut πρῶτον μὲν nullum omnino habeat comitem: V 8; 9; 21; VI 15; III δ 3; IV γ 2 bis.

Asperae porro Antiphontis consuetudinis est structuram inchoatam ita neglegere, ut post μὲν aut δὲ omnino omittatur aut alia ponatur particula; velut II α 7 et δ 4 μὲν voculae nulla respondet δὲ. Huc etiam pertinent V 30; 54; VI 9, ubi duplici μὲν opponitur simplex δὲ. Aliae autem particulam μὲν excipiunt his locis: I 18 ἀλλὰ; V 19; 86; VI 3; 18; 21-22 μέντοι; V 52 καίτοι; VI 14 καὶ (= καίτοι? cf. Maetzner. ad V 57 et VI 46).

Neque vero semper sententiarum nexum anacoluthia violatum esse crediderim. Etenim exploratum est μὲν ex μὴν particula, quae confirmandi asseverandique vi (= vero, gewiss, fürwahr) est praedita, attenuatam apud Homerum tragicosque et Herodotum centies hoc sensu usurpari. Temporum autem serie sola μὲν vocula hanc genuinam vim magis magisque abiecit, ita ut in proba graecitate nonnisi in certis quibusdam locutionibus eam retinuerit, velut (καὶ) μὲν δή, μὲν οὖν, πάνυ μὲν οὖν, εἰκὸς μέν, ἐγὼ μὲν οἶμαι al. Iam vero cum identidem ostenderim, quam studiosus sit Rhamnusius priscorum poetarum et Herodoti imitator, idem quin hac quoque ratione illorum insistat vestigiis non dubito. Qua in opinione quodammodo me gravissimis Kuehneri et Bäumleinii iudiciis adiuvari magnopere gaudeo. Ille enim l. l. p. 503 haec scitissime iudicat: „Auch den attischen Schriftstellern ist der Gebrauch des confirmativen μὲν keineswegs abzusprechen“; hic l. l. p. 162: „Man muss daran festhalten, dass μὲν nicht notwendig einen folgenden Gegensatz bedingt, sondern einfach die Aussage und speciell den voranstehenden Begriff versichert“. Quare illi nodum, ut aiunt,

in scirpo quaerere mihi videntur, qui locis quibusdam nudam *μὲν* particulam nonnisi adversativam esse conantur probare. Et ad hanc quidem, quam modo professi sumus, sententiam stabiliendam maxime idoneum exemplum est **V** 9 *καὶ ὡς μὲν οὐ κακοῦργός εἰμι οὐδ' ἔνοχος . . ., αὐτοὶ οὗτοι τούτου γε μάρτυρες γεγένηνται.* Eiusdem generis sunt **V** 36,1; 37,1 [1]). Eodem referri velim **VI** 2 [2]) *καὶ τοὺς μὲν νόμους . . . πάντες ἂν ἐπαινέσειαν κάλλιστα νόμων κεῖσθαι*; loco gemello V 14 enim exstat *τούς γε νόμους.* Constat autem *μὴν* et *γε* cognatione quadam esse coniuncta atque ita quidem, ut *μὴν* (*μὲν*) ad totas enuntiationes, *γε* ad partes earum premendas spectet, cf. G. Hermann ad Vig. idiotismi ed. IV p. 822 et Bäuml. l. l. p. 53. Altero igitur loco totum enuntiatum, altero primariam vocem urguere voluit orator.

In tetrall. vero haec exstant **III** *γ* 1,1; **IV** *α* 1,1; nec secus *β* 2,4 *τὸν . . . ἄρξαντα . . ., εἰ μὲν . . . ἠμυνάμην αὐτόν, ἠδίκουν μὲν οὐδ' οὕτως* (= hätte ich wahrlich auch so nicht unrecht gethan).

Iam unus restat locus, de quo hucusque virorum doctorum sententiae in diversissimas partes abeunt; nos lucem afferre possumus. Exaratur codd. **I** 8-9 . . . *οὐκ ἠθέλησε σαφῶς πυθέσθαι ἐμοῦ ἐθέλοντος τῇ δικαιοτάτῃ βασάνῳ χρήσασθαι περὶ τούτου τοῦ πράγματος; τοῦτο μὲν γὰρ ἠθελήσαμεν τὰ τούτων ἀνδράποδα βασανίσαι . . . βασανιστάς τε αὐτοὺς τούτους ἐκέλευον γίγνεσθαι ἐμοῦ παρόντος.* Genuinam scripturam *ἠθελήσαμεν*, cum accusator nusquam alias plurali numero utatur, nullius esse pretii in aperto est. Itaque recentiores, Schaefer (l. c. p. 32) Jernstedtius Blassius Ignatius (l. c. p. 166/7) mutarunt in *ἠθέλησα μὲν* Sauppio adstipulantes interpretanti (epist. crit. ad G. Herm. p. 28 sq.) aeque atque *ἂν* et *γε* bis poni hanc *μὲν*, ita ut „primum ad totam partem priorem sen-

---

[1]) Schaefer l. l. in universum Bäumleinii iudicium amplectens ipse quoque hunc usum Rhamnusio assignat, neglegit tamen V 37, 1.

[2]) Wetzell, „Beitr. z. Gebr. einig. Part. b. Ant.“ p. 12, hunc usum nonnisi in III *γ* 1; IV *α* 1 invenisse sibi videtur; de VI 2 nihil diiudicare audet.

tentiae pertineat alteri oppositam, deinde iterum ei vocabulo addita sit, quod momentum faciat". Sed haec explicatio mihi non arridet. Namque μὲν voculam eodem sensu tam celeriter repeti persuadere mihi non possum. Neque magis mihi probatur ratio quam Cobet (Mnemos. VIII n. s. 273) iniit, qui Kohmio probante (Wien. Stud. XII, 2, 159 sq.) hanc particulam, cum „addita verborum compositionem corrumpat", expungendam censet. Quae cum ita sint, alia explicandi ratio est indaganda. Hanc vero inveniri posse spero in ea quam supra distincte exposui Rhamnusii proprietate. Nam quid? verba ἠθέλησα μὲν nonne repetendo confirmare videntur illa praecedentia ἐμοῦ ἐθέλοντος κτλ., ita ut probe vertamus: „denn einerseits wollte ich in der That ihre Sklaven foltern . . ., andrerseits hiess ich sie selbst die Folterung vornehmen". Quare etiam hoc exemplum illi generi fidenter assignare possumus.

Supra ostendimus, quam pauca quamque simplicia sint Antiphontis ad orationem continuandam adminicula. Addenda est μὲν—δὲ coniunctio, qua dissolute transitus paratur, quod genus apud Isocratem uno tantum loco exstat (XVII 13). Apud nostrum vero invenitur V 21 ἡ μὲν πρόφασις ἑκατέρῳ τοῦ πλοῦ αὕτη . ἐτύχομεν δὲ κτλ.; item 25; 31; 52 μὲν—καίτοι; 60; VI 13-14 μὲν—καὶ; notandum est in or. VI hunc usum paene evanescere.

In tetrall. exstant II α 9; β 10.

Pervulgatam priscorum illorum consuetudinem, qua simplicem in modum complures enuntiationes pari loco ponuntur nulla habita ratione sententiarum nexus intercedentis quodammodo usque ad optimos graeci sermonis auctores pervenisse satis constat. Velut ea enuntiata, inter quae concessiva intercedit necessitudo, apud omnes μὲν—δὲ particulis coniuncta invenies. Sed cum in bona excultaque graecitate eae sententiae, quae temporali et causali nexu continentur, in arctiorem verborum ambitum includantur, Antiphon has saepe simplicissime μὲν—δὲ voculis inter se opponit. Quam in proprietatem cum iam Marte meo inci-

dissem, in manus meas pervenerunt duae dissertationes, in quibus et ipsis tale quid excutitur, altera Oeltzii, „de *μὲν—δὲ* partt. apud Thucyd. usu“, Lips. 1887, altera Bellingii, cuius non semel mentionem fecimus. Qui (p. 26) structura paratactica strictim tacta haec exempla laudat: **II** *β* 4; 10; 13; **IV** *δ* 1 bis; **V** 19; 85; **VI** 16; 43. Ex his tamen **II** *β* 4; **IV** *δ* 1 posterius; **V** 19; 85; **VI** 43, quippe cum concessivam illam exhibeant rationem, non pertinent ad nostram rem. Inquiramus nunc in parataxim causalem; cuius luculentum exemplum exstat **I** 1 *νέος μὲν καὶ ἄπειρος δικῶν ἔγωγε ἔτι, δεινῶς δὲ καὶ ἀπόρως ἔχει μοι περὶ τοῦ πράγματος.* Eiusdem modi **V** 4,3-4; 35,5-7; 63 . . . *οὐ σφόδρα ἐχρώμην ἐγὼ Λυκίνῳ φίλῳ . . . οὐ γὰρ δή που ἑπτὰ μὲν μνᾶς οὐκ ἀπέτεισα ὑπὲρ αὐτοῦ δεδεμένου . . ., κίνδυνον δὲ τοσοῦτον ἀράμενος ἄνδρα ἀπέκτεινα,* ex qua intricata verborum compage clare perspicitur, quam non valeat orator ad sententias dilucide proferendas. Porro **VI** 3,5-6. — **V** 79,5-6 et **II** *β* 13,3-4 ita ut sententia secundaria in membro *δὲ* particula indicato ponatur[1]).

In tetrall. hunc usum inveniri modo cognitum est; alia habes: **II** *β* 10,1-2; **IV** *δ* 1,1-2. Huc pertinere censeo **IV** *α* 7 *ὁ μὲν τοίνυν νόμος . . . παραδίδωσιν αὐτόν· τῶν δὲ μαρτύρων ἀκηκόατε . . . ὑμᾶς δὲ χρὴ . . . ψυχὴν ἀνταφαλέσθαι αὐτόν*; alterum *δὲ* inducit enuntiatum primarium, cui rectius illa *μὲν—δὲ* particulis inter se opposita subiungenda sunt.

Haec de parataxi causali. Fit autem, ut ea quoque enuntiata, quae optime in temporalem includi possunt periodum, pari loco ponantur. Velut **V** 20 *τὸν μὲν πλοῦν*[2]) *ἐποιησάμην . . . ἐπλέομεν δὲ εἰς τὴν Αἶνον κτλ.*, i. e. „nachdem ich die Fahrt von Mytilene aus angetreten hatte . . ., fuhren wir zusammen nach Änos etc. Praeterea 45,1; post pauca 45,3 anaphorice; **VI** 11,10-11.

Restat, ut de collocatione pauca exponam. Communis

[1]) cf. Krueger l. l. § 69, 16,3.

[2]) Blassium (Att. Ber. I², 137) male habet, quod *τὸν μὲν πλοῦν* contrario caret. Immo exstat me iudice, *ἐπλέομεν δὲ*, quamvis specie, non re ipsa.

Graecorum ratio ea est, ut μὲν et δὲ iis, quae sibi respondent, vocabulis subiciantur atque ita quidem, ut occasione data ad articulum aut praepositionem applicentur; quo ab usu poetas interdum recedere constat[1]). Atque horum liberiorem consuetudinem etiam Antiphontem haud paucis locis imitari videmus. Velut insolita in sede reperies μὲν et δὲ **V** 22 ἐν ᾧ μὲν—εἰς ὃ δὲ; 45 ἐν τῇ γῇ μὲν; **VI** 42 τὴν δίκην δέ. Ita ut varietur oratio **V** 28 ἐν μὲν ᾧ — ἐν ᾧ δὲ; **II** β 3 ὡς δεινὸν μὲν — ὡς δ' ἠλίθιον.

Praeterea eam orator committit neglegentiam, ut μὲν—δὲ non vocibus comparibus adiungat: **V** 45 ἐν τῇ γῇ μὲν ἀποθανόντος, ἐντιθεμένου δὲ εἰς τὸ πλοῖον; **VI** 42 ἔδει μὲν γὰρ ... τρεῖς προδικασίας ποιῆσαι — τὴν δίκην δέ. Simillime in tetrall. **II** β 11,4-5 et **IV** β 7,3-4.

μὴν, γε μὴν, οὐ(δὲ) μὴν, οὐ μὴν ἀλλὰ, ἀλλὰ μὴν, καὶ μήν; μέντοι, καίτοι.

Has particulas adversativas breviter ac summatim monendum est in Antiphontis sedate incedente et parum artificiosa oratione aut raro aut omnino non usurpari. Velut frustra quaesiveris γε μὴν, οὐ μὴν ἀλλὰ, ἀλλὰ μήν. Scitissime de μὴν eiusque compositis disseruit Dittenberger V. D. in Herm. XVI p. 329: „Bei der ältesten Generation der attischen Prosaiker ist der Gebrauch der Partikel μὴν ein äusserst sparsamer. In dem ältesten Prosawerke, der Ἀθηναίων πολιτεία, kommt dieselbe überhaupt gar nicht vor, ebenso wenig in den echten Reden des Andoc.; in denen des Antiph. finden sich 5, bei Thuc. nur 9 Beispiele, und zwar steht die Partikel in unmittelbarem Anschluss an καὶ und οὐ (καὶ μὴν Ant. **V** 44 [bis!]; 91; καὶ μὴν — γε 28; 44 [?]; 92; καὶ μὴν καὶ Thuc. I 70; II 38; III 82; καὶ μὴν οὐδὲ I 3; 82; II 97; VI 55). Dieselbe ist also in der ältesten

[1]) cf. Madvig, l. l. § 184 Anm. 1.

Periode der att. Prosa in noch wesentlich engere Schranken eingeschlossen als in der früheren Gruppe der Platonischen Dialoge, insofern dieselbe weder ein ἀλλὰ μὴν noch ein οὐδὲ μὴν kennt." Haec omnia mihi probantur praeter ea, quae de οὐδὲ μὴν profert; quod cum tantummodo in tetrall. appareat, spurias has esse et suspectas clamat. Sed audiamus ipsum (ib. in adn.): „Die Fälscher haben dies natürlich nicht gewusst, und so liest man in den Tetrall. οὐδὲ μὴν II γ 5" (addendum est II α 4 bis). At primum non video, cur Antiphonti, quippe qui persaepe ac studio quodam οὐ negationem οὐδὲ vocula continuet, non οὐ μὴν coniunctioni etiam οὐδὲ μὴν subicere liceat. Hoc autem si concesserimus, ne in οὐδὲ μὴν quidem solum οὐ excipiente offendemus. Tum vero, id quod satis superque monui, haec quoque Homericae dictionis vestigia esse firmissime asseveraverim. Verum si quis tamen discrimine tetrall. et orr. quasi certo fundamento nitatur, consideret, quae saepius de tali re iudicavi (cf. p. 45).

Videamus nunc de μέντοι et καίτοι. μέντοι particulae genuina vis asseverandi est, quae in interrogationibus responsionibusque, imprimis apud Xenophontem Platonemque, invenitur. Apud nostrum ei nulla nisi vis adversativa subest[1]) atque ita quidem, ut γε modo apponatur modo omittatur. Ecce exempla: V 75; 86; VI 18; 22; addita γε: V 19; VI 3.

καίτοι particulae usus aliquanto latius patet. Cuius vulgaris ratio ea est, ut argumentum inducat, quod antecedenti opponatur, aut subiectionem quae vocatur, qua quis sibi ipse aliquid obicit; utraque vero apud Rhamnusium satis trita est. Proprietas tamen quaedam in eo versatur, quod καίτοι οὐ δήπου (γε) copulatur, atque tum quidem, cum ironice loquitur orator. Velut V 24 καίτοι οὐ δήπου γε κατ' ἐμαυτοῦ μηνυτὴν ἔπεμπον εἰδώς et sim. 85.

Hic addendum est Rhamnusium saepius simplex καὶ (. . γε) eodem sensu quo καίτοι (. . γε) usurpare; quod genus

[1]) cf. Wetzell, l. l. p. 31.

ad tragicos redire Maetzner (ad V 57) autumat. Qui huc refert V 57 et VI 46. Eiusdemmodi vero me iudice sunt I 6 *καὶ οὐ τοῦτό γ' ἐρεῖ, ὡς εὖ οἶδεν, ὅτι γ' οὐκ ἀπέκτεινεν ἡ μήτηρ αὐτοῦ τὸν πατέρα*, scil. quamvis „*νομίζει τοῦτο εὐσέβειαν εἶναι, τὸ τὴν μητέρα μὴ προδοῦναι*; V 14 *καὶ τούτων εἴ τι ψεύδομαι* = quamquam siquid mentior; ib. 15 ... *τὸ φάρμακον οὔτ' ἠνάγκασα* ... *καὶ οὐ τούτου ἕνεκα ταῦτα σφόδρα λέγω, ὡς ἐμαυτὸν ἔξω αἰτίας καταστήσω* = verum tamen non ideo haec premo etc. Quae cum ita sint, nullum calculum adicio neque Blassio, qui VI 46 Reiskio et Beckero auctoribus restituit *καί* (*τοι*), neque Cobeto I 6 *καί* (*τοι*) ... *γε* mutanti (Mnemos. n. s. VIII, p. 272).

IV. Causales.

γάρ.

Cum in proba et perpolita graecitate eae sententiae, quae causali nexu continentur, plerumque in periodicam i. e. in firmiorem iuncturam particula *ὅτι* aliisque cogantur, apud Antiphontem prorsus contraria ratio tanquam lex esse videtur. Causa vero, si quaeris, ea sine dubio est, quod eius elocutio ad *λέξιν εἰρομένην* spectat, in qua sic conformantur periodi, ut sententiae statim prodeant, deinde evolvantur et explicentur[1]). Unde fit, ut in eiusmodi enuntiatis *γάρ* vocula prope una solaque in usu sit. Atque hoc quidem ut quam vere iudicatum sit clarius perspiciatur, coniunctionum causalium conspectum apponere liceat:

---

[1]) Haec est eadem ratio, quam O. Mueller (Gr. Litt. II, 1,365) apud Thuc. laudat his verbis: „In der „absteigenden" Gattung motivierender Sätze setzt er die Handlung, das Resultat voran und lässt unmittelbar in Kausalsätzen oder Partizipien die nächsten Ursachen oder Motive folgen."

in or.	ὅτι	δι' ὅτι	ὡς	ὅπου	ὁπότε	γὰρ
I	—	—	—	1 ×	—	21 ×
V	1 ×	1 ×	2 ×	—	1 ×	ca. 100×
VI	2 ×	1 ×	—	3 ×	—	ca. 36 ×
II—IV	—	—	—	—	—	ca. 130×

Iam vero aliqua exempla eaque luculentissima supponamus: **I** 28 *θαυμάζω .. τοῦ ἀδελφοῦ .. τὸ διομόσασθαι .. πῶς γὰρ ἄν τις εὖ εἰδείη οἷς μὴ παρεγένετο; οὐ γὰρ δήπου μαρτύρων γ' ἐναντίον κτλ.*; **V** 26 .. *οὐδενὶ λόγῳ εἰκότι δύνανται ἀποφαίνειν. δῆλον γὰρ ὅτι ἐγγύς που τοῦ λιμένος εἰκὸς ἦν .. οὔτε γὰρ αὐτοῦ κρατεῖν*; item **V** 79 *ἅπασι γὰρ .. ἠλλάξαντο γὰρ.* Etiam magis mirum **VI** 3-5 *ἔστι μὲν γὰρ .. αὕτη δὲ .. ἀνάγκη γὰρ .. τοσαύτην γὰρ .. ἔστι μὲν γὰρ.*

Neque secus res se habet in tetrall. Ecce haec sane mira **III** *β* 3-4 *τὸ γὰρ μειράκιον .. τοῦ γὰρ παιδὸς .. εἰ μὲν γὰρ*; *γ* 1-2 *ἥκιστα γὰρ .. ἐγώ τε γὰρ .. οὐδὲ γὰρ.*

Unum apud Antiphontem exstat exemplum, in quo *γὰρ* ei sententiae, cuius causam affert, praemittitur. Hic usus „naturalis priscorum dicendi facultatis est, quae quod proxime in mentem venit, id omni effundit vi“ [1]). Atque id genus imprimis ab Homero Herodotoque adamari nemo ignorat. Exaratur autem **I** 11 *νῦν δ', ἐγὼ γάρ εἰμι τοῦτο μὲν ὁ θέλων αὐτὸς βασανιστὴς γενέσθαι . . ., ἐμοὶ δήπου εἰκὸς ταὐτὰ ταῦτα τεκμήρια εἶναι*, cuius modi conformatio (*νῦν δὲ—γὰρ*) apud Homerum persaepe invenitur [2]). Iam ad I 11 confer quaeso **V** 38 *νῦν δέ, ὁπότε αὐτοὶ οὗτοι προχαλουμένων τῶν φίλων τῶν ἐμῶν ταῦτ' ἔφυγον, ἐμοὶ δήπου κατὰ τούτων εἶναι χρὴ ταὐτὰ ταῦτα τεκμήρια κτλ.* Quid tibi haec simillime comparata exempla probare videntur? Id sane quidem, praesertim cum hos locos communes ex arte quae vocatur transcriptos esse verisimile sit, Antiphontem ratione et consilio elocutionem suam emendare et ad perfectiorem gradum promovere studuisse. — Ad illud

---

1) Spengel, *συναγ. τεχν.* p. 9; cf. Kuehner l. c. p. 853,2.
2) cf. quae Bäuml. l. l. p. 78-79 laudat.

(I 11) singulare exemplum, ubi γὰρ est insertum, cf. haec similia V 42; II γ 5; III γ 10.

Ad extremum videndum est de γὰρ omisso. Cum Graecorum sermo tanta particularum copia praestans sit, qua ad subtilissimas sententiarum necessitudines significandas valeat, lex est, ut sententiae non dissolute continuentur. Ab hac quidem regula vel optimos scriptores hic illic discrepare concedendum est; verum tamen is usus apud omnes observatur, ut ubi in enuntiato priore verbum aliquod ad sequentia spectat[1]), id γὰρ particula evolvatur. Hac lege Antiphonteam elocutionem nondum plane obstrictam videmus. Velut I 21 post σκέψασθε pergitur ἐγὼ μέν γε (sed cf. V 49; VI 41); V 14 post κάλλιστα νόμων ἁπάντων· ὑπάρχει μέν γε αὐτοῖς (sed cf. VI 2); item 49 δύο λόγω . . . τοτὲ μὲν ἔφη—τοτὲ δε; VI 9 . . . δεινὸν . . . ἵνα μὲν ἐξῆν αὐτοῖς; 14 . . . οὕτως ἔχει . . . πολλοὶ τῶν περιεστώτων; 11 post ἄρξομαι δὲ ἐντεῦθεν narratio ipsa dissolute incipit: ἐπειδὴ χορηγὸς κατεστάθην.

Eandem proprietatem habes in tetrall. II γ 6,2; 11,3; III γ 10,3-4; IV β 7,3; δ 6,2.

ἐπεὶ.

ἐπεὶ voculam a Graecis passim pro γὰρ usurpari satis constat. Itaque eam apud nostrum quoque inveniri nullo modo mirum est; mirum vero est, quod utroque quo exaratur loco ei τοι particula exaggerandi causa subicitur, quam coniunctionem (ἐπεί τοι [γε]) ad poetarum exempla redire cuiusvis est perspicere. Nam sescenties in eorum libris reperies ἐπεί τοι vel ἐπεί τοί γε vel ἐπεί τοι καὶ, cf. exempli causa Il. I 416; Soph. Trach. 320; El. 323; O. C. 433; Eur. Andr. 89; Med. 677; addo ex Platone: Theaet. 142 B; Charm. 154 E; resp. VIII 567 E. Apud Rhamnusium exstant VI 9 ἐπεί τοί γε καὶ δεινόν, ὦ ἄνδρες et ib. 14 ἐπεί τοι οὕτως ἔχει, ὦ ἄνδρες.

---

[1]) cf. Kuehner l. c. p. 853.

V. Conclusivae.

οὖν.

οὖν particulae vim genuinam esse affirmativam grammatici docent[1]); inde natam esse significationem concludendi, quae apud omnes omnium temporum auctores sollemnis usitataque est. Apud Antiphontem vero praeter hunc usum more tritum deprehendimus proprium quendam, „welcher die folgernde Bedeutung (Wetzell. p. 20,1) noch unentwickelt zeigt“. Quod accidit in narratione or. **I** atque totiens, ut paene taedium moveatur legenti. Lege, quaeso, §§ 14-17: iam videbis, quam exigua arte narratio composita sit, quotiensque ad eam continuandam *οὖν* adhibeatur.

Sed haec de usu in narratione. Praeterea duo sunt loci, quibus *οὖν* vocula proprie *ἤδη* adverbio adiunctum apparet. Ne his quidem *οὖν* meram concludendi vim exhibere videtur, sed potius adverbii significationi premendae servire. Cuiusmodi sunt **I** 22 *ἤδη οὖν ἐν ὑμῖν ἐστι τοῦτ' ὀρθῶς διαγνῶναι* et 25 *ἤδη οὖν ἐγὼ ἀξιῶ . . . ταύτην ἀπολέσθαι ὑπό τε ὑμῶν καὶ τοῦ δικαίου.*

τοίνυν.

τοίνυν quamquam cum *οὖν* particula finitima cognatione coniuncta est, ita ut promiscue pro *οὖν* ponatur, id tamen interpositum est discrimen, quod nunquam adverbii vice fungitur (scil. asseverandi), sed semper conclusivam exhibet significationem, etiamsi haec nonnunquam haud ita clare eluceat. Ex qua Rosenbergius[2]) duplicem vertendi rationem deducit: 1. „Wenn die Beziehung zum Vorhergehenden

[1]) cf. Kuehner, l. l. p. 708,1; Wetzell, l. l. p. 20; Kalinka, de usu coniunct. quarundum apud scriptt. Att. antiquiss., Vindob. 1890, p. 175 sq.

[2]) Rosenberg, die Partikel *τοίνυν* in der att. Dekas, Jhbb. f. kl. Phil. 109, p. 118.

eine losere ist, als Uebergangspartikel: „ferner“; 2. Wenn die Beziehung enger ist: „so denn“, „daher““, quae usitatissima est. Iam vero cum apud nostrum rarius (7 ×) in usum veniat *τοίνυν*, vix quicquam eius proprii potest constitui. Verum hoc fortasse commemoratione dignum est, quod ea tantum, quam altero loco posuit Rosenbergius, vi usurpatur; nusquam igitur deprehenditur in transitione, in qua auctori rei publicae Atheniensium, Rhamnusii fere aequali, et Andocidi familiaris locutio est *φέρε δὴ τοίνυν*[1]). Neque vero neglegendum est, id quod Schaefer laudavit (l. c. p. 53), *τοίνυν* omnibus orr. V et VI locis cum prima persona copulari, cf. V 60 *λέγω τοίνυν* vel 66 *μὴ τοίνυν ἐμοὶ νείμητε*; sim. 83; VI 26; 31.

His igitur explanatis ad finem huius commentationis pervenimus. Namque ea quae supersunt conclusivae, *ἄρα*, *τοιγάρ(τοι)* *τοιγαροῦν* aut rarissime aut omnino non inveniuntur, ita ut fusius non possint tractari. *ἄρα* apud Antiphontem uno loco codd. servatur VI 1 *εἰ δ' ἄρα τις κτλ.* Addere liceat, quae de hac particula Kalinka, l. c. p. 208, profitetur: „Antiquissimi Attici, inquit, magis minusve caverunt, ne *ἄρα* cum aliis verbis quam (sic!) cum coniunctionibus *εἰ(ἐὰν)* et *ὡς* coniungerent“, id quod illo exemplo confirmatum vides.

τοιγάρτοι et *τοιγαροῦν* quae apud ceteros scriptores parum frequentantur, Antiphonteae elocutioni prorsus alienae sunt.



[1]) cf. Kalinka, l. c. p. 190.

INDEX.

VITA.

Natus sum Guilelmus Rosenthal die XXV m. April. a. h. s. LXV in Marchiae oppidulo, cui nomen est Zehden, patre Carolo matre Carolina e gente Reichelt, quibus superstitibus laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis in patria imbutus adii ab a. h. s. LXXVIII realgymnasium Sprembergiense, unde anno post in gymnasium Regiomontanum transii, cui tunc praeerat Carolus Nauck V. D. Vere a. h. s. LXXXVI maturitatis testimonium adeptus Berolinum transmigravi civiumque academicorum in numerum receptus sum, studiis Graecis Latinis Germanicis historicis philosophicis operam daturus. Docuerunt me viri doctissimi Bastian, Diels, Dilthey, Hirschfeld, Huebner, Jastrow, Kirchhoff, Koehler, Koser, Paulsen, de Richthofen, Robert, Roediger, Rothstein, E. Schmidt, I. Schmidt, de Treitschke, Vahlen, Zeller. Exercitationibus interfui Dielsii grammaticis, Koehleri historicis. Quibus viris cum omnibus tum maxime Dielsio et Koehlero gratias ago candidissimas. Ineunte a. h. s. LXXXXIII examine pro facultate docendi superato gymnasio Berolinensi, cui Fridericus Guilelmus II nomen indidit, adscriptus sum, ut tirocinii paedagogici alterum annum degerem. Nunc candidatus probandus sum gymnasii Spandoviensis.

Inde ab hieme a. h. s. LXXXVII sodalis fui societatis philologae academicae Berolinensis.